AN QUÆSTIONE PER TORMENTA CRIMINUM VERITAS ELUCESCAT,

DISSERTATIO MORALIS ET JURIDICA,

Quâ ordo & series instrumenti capitalis judicii, præsertim in causis sortilegii seriò discutitur, & ad saniorem divinarum legum & juris antiqui usum revocatur.

OPUS OMNIBUS, TUM supremis, tum mediis, nec non inferioris subsellii Judicibus, Patronis etiam & Jureconsultis quibuscumque apprimè necessarium.

AUCTORE

AUGUSTINO NICOLAO,

Jureconsulto Bisuntino, à Consiliis Regis Christianissimi, nec non in supremo Sequanorum Senatu ordinario supplicum Libellorum Magistro.

ARGENTORATI

Sumptibus JOH. FRIDERICI SPOOR, Bibliop.

ANNO M DC XCVII.

Lo

6075
B18

A623894

TORTVRÆ DISCVSSIO.

PARS I.

Præfatio.

JAm pridem hæret animus, nec quâ ſe expediat facilis mihi patet area. Hinc inſontium reorum aleâ, quibus ſub iniquo torturæ examine injuſti ſupplicii periculum imminet, ad ſubſidium innocentiæ periclitantis advocor, inde metus ab incepto revocat, ne receptis paſſim rerum capitalium quæſtionibus videar obverſari. Certus denique, meliùs humanæ ſorti conſuli, inſonte vel unico ſervato, quàm decem ſontibus ſupplicio traditis, Romanorumque motus exemplo, qui potiore prœmio vel unius Civis ſervatorem proſequuti ſunt, quàm civem qui mille hoſtes in bello cœcidiſſet, nullatenùs ambigo, me plus de communi hominum ſorte meritum iri ſalute innocentium procuratâ, quàm ſi innocentium periculo obdormiſcens ſilentio

meo injustis reorum suppliciis acquiescam.

Scio equidem plures majore doctrinâ ingenioque viros huic argumento pleniùs suffecturos; atque ideò tenuioris Minervæ mihi conscius, in hoc opere nihil ex propriæ doctrinæ penu proferam, quin ex divinæ legis adytis aut penitioribus humanæ sapientiæ thesauris prudentium calculis sancitum prodierit. Forsitan non nemo, feliciore conatu, argutiore ingenio, re seriùs expensâ nostro huic informi partui manum ultimam non invidebit, molemque indigestam lambendo poliendoque perficiet. Si cui tamen indigna luce videbitur, saniori censuræ eo proniùs acquiescam quò proprii sensus nulla me præsumptio possidet.

Tantum præfatus, aggredior Romanæ jurisprudentiæ scrutinium, quatenus in indaganda criminum veritate quæstionibus utitur, sævitque tormentis in humana corpora undique conquisitis; Non tamen usque adeò grassabor in reorum perniciem, nec doloris immanitate quemquam adigam, ut vitæ pertæsus, honorem salutemque tormentorum cessationi post-

posthabeat. Sanè si, teste Horatio, vinum *lene tormentum ingenio admovet; plerumq; duro, si curas & arcana Lyæi ministerio detegimus*; cur non tutiùs & defecatiùs ratiocinio humani præjudicii vacuo, ac divinæ legis effatis informato veritas illucescat, quàm toties humanæ præsumptionis placita sanioribus cœlestis doctrinæ decretis obversentur. Prævio igitur naturalis sensus lumine ex quo legum omnium origo deducta est, quæro quid sit quæstio circa capitalia? Illiusne ministerio sincerè crimina detegantur, & an Quæsitoribus expressæ per cruciatus confessioni tutò detur acquiescere?

lib 3 carm. od. 21.
Tu lene torment ingenio admoves Plerumq; duro: Tu sapientium Curas, & arcanum jocoso consilium retegis Lyæo.

Cap. I.

Quid sit quæstio in criminalibus, quando & unde orta?

QUæstio in capitalibus nihil aliud est quàm veri per tormenta indagatio, quâ, doloris ministerio, ex ore reorum proprii aut alieni criminis confessionem exprimimus. Romani, qui primùm per tormenta quæstionem exercuerunt, non nisi in servos cruciatibus usi sunt,

l. 1. §. Divus Antoninus, & §. si servi. l. unius 18. § servo. ff. de quæst.

in quos nimirùm jus ſibi vitæ & necis arrogabant; ſub cautela tamen, ut ne ſervus in necem Domini licitè torqueretur; ſed nec ſponte quid in dominum proferentis ſtaretur indicio. Idem juris in matre tutoreque pupilli jure Romano receptum eſt, adeò melioribus illis ſæculis religioni ductum eſt in ingenuos tormentis experiri.

l. 1. & 2. l. inſolitum. l. pridem placuit. l. ſervos. 14. C. eod.

Sanè Syllanianis temporibus, lapsâ ſub Cæſarum tyrannidem Romanâ libertate, de majeſtate per tormenta quæri cœptum eſt, tantuſque ſenſim quæſtionis abuſus irrepſit, ut in eâ propagandâ Romani Juriſconſulti ſolâ tyrannorum ſuorum libidine pro ratione uſi ſint. Juvat igitur in ipſam quæſtionem inquirere, quâ ſcilicet certitudinis ſpecie nixi, priores poſterique torturæ aſſertores, extortam per tormenta criminum occultorum confeſſionem pro veritate reputarint, ut excuſſis hinc inde legum juriſperitorumque fundamentis, ſi liquidò nobis conſtiterit torturæ uſum nec ratione nec auctoritate nec experientiâ certam veritatis ſpeciem exhibere, perſpicuè nobis indubiam innocentium reorum perniciem in fal-

laci

laci quæstionis experimento liceat arguere.

Scio nec inficior Tullium suggessisse quondam filio Ciceroni ut ad confirmandam quæstionis efficaciam, Rhodiorum, Atheniensiumq; exemplis uteretur, apud quos cives solerent ingenuiq; torqueri; sed quum sit in jure passim receptum, non exemplis sed legibus solidâque ratione veritatem fulciri, pace Tullii liceat ab argutiis forensibus, ad saniora divini juris effata provocare; Dicam tamen interim quod sentio, parùm integrâ fide Tullium in tradendis filio præceptis illis oratoriis de quæstione sensisse, quum pro partis suæ commodo eandem tormentis fidem modo astruat, modò destruat, omniaque ad causæ cui suffragatur compendium, cavillosè potius, quàm ex sincera ratione metiatur.

In partit. orator. num. 118.

Atqui, ut legitimis rationum momentis nitatur auctoritas, non in ancipitibus argutiolis, quæque utrimque ad patroni libitum librari possint, utendum est; planè ut deploratæ lenitatis sit in re tam seriâ principes torturæ sectatores homini plus eloquentiæ quàm juris studioso potiùs

quàm veritati tribuisse, idque præsertim quum in utramque sententiam Tullii testimonia suppetant.

Dispiciamus igitur cui potiùs Tullii sententiæ inhærendum. Si ad jus Romanum attendimus, primo testimonio variantis standum est, eò fortiùs, quò prius solidâ ratione fulcitur. Alterum quod refellimus, nititur exemplo Romanorum, Atheniensium & Rhodiorum. Illi de servis duntaxat per tormenta quærebant, hi in ingenuos quæstionibus usi sunt, non sine Tullii severiore censurâ, cui acerbissimum visum est, in libera capita tormentis uti. Secundo dicto, Tullius, prioris immemor, in doloris efficacia veritatem confessionis nititur assere-re. In primo, justiùs audit rerum magistram experientiam, illique æquo adeò calculo suffragatur, ut posterioris sui testimonii fidem prorsus enervet ac destruat. *Sæpe etiam* (inquit ille) *quæstioni resistendum est, quod & dolorem fugientes multi, in tormentis ementiti persæpe sunt, moriq; maluerunt falsum fatendo, quàm verò inficiando dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, ut eos qui his cariores quàm ipsi essent liberarent. Alij autem aut naturâ corporis,*

Partit. orat. n. 118.

Ibidem.

Partit orat. n. 50.

ris,

ris, *aut consuetudine dolendi*, *aut metu supplicij*, *aut mortis*, *vim tormentorum pertulerunt*; *Alij ementiti sunt in eos quos oderant*. En vallatam ipso experimento sententiam, cujus ad omnes torturæ casus ratio porrigitur; esto nunc prudentis cujusque judicium, cui potiùs ex ambobus Tullii dictis inhærendum sit.

Progrediamur ad aliud torturæ fundamentum quod Octaviani Cæsaris dicto nititur. *Quæstiones servorum efficacissimas ad inquirendam veritatem* asserit alicubi ex auctoritate Augusti Paulus Jurisconsultus. Hæc verba priscus ille legum collector ex edicto quopiam Octaviani Triumviri forsitan excerpserat; nec mora, legem ex illis suffarcinavit. Hanc Capitalium Quæsitores ex rubricâ de quæstionibus expiscati, inter juris Romani principia retulerunt, hisque fundamentis innixi, quæstionis praxim in capitalibus invexerunt; At, meo quidem judicio, non satis exploratò in Augusti verba judicii aciem intenderunt, ex illis enim nulla torturæ fides elicitur, quum illi duntaxat ad inquirendam, non ad explorandam veritatem vim Octavianus tribuat.

l. edictum. ff. eod.

In topic. ad Trebat.

Idem ipſe Tullius iiſdem fermè verbis alibi de quæſtione loquutus eſt; *nam* (inquit ille) *verberibus tormentis, igne fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere*; Non tamen inde quæſtioni veritas ſed ſolùm veritatis imago tribuitur; equidem Tullio aſſentior, extortas per tormenta reorum confeſſiones veras in ſpeciem videri, ſed longè ſæpius à vero diſcrepat, quod veri præ ſe fert imaginem, ſed & mox evincam perſpicuè Tullium Rethoris argutiis hac in parte uſum, moreque Academicorum, cui ſectæ ſe addixerat, veriſimile potiùs quàm verum in inſtruendo filio proſequutum.

Equidem legum humanarum auctoritati, quantùm quivis aliùs, tribuo; non tamen uſque adeò mentis acie deſtituor, ut ad ſolum illarum intuitum cùm naturalis ſenſus, tùm divini juris apud me pereat auctoritas; Cui, ut quantùm par eſt tribuam, ſic ratiocinor; non eſſe locum damnando reo, quamdiu de crimine de quo agitur abſolute non liquet; atqui perſpicuum eſt reum ſolis præſumptionibus teſtive unico obnoxium, convictum dici non poſſe; Huic ſententiæ ſuffragantur humana divinaque jura, quip-

l. fin. C. de probat. l. abſentem. ff. de pœn. l. qui ſententiam. C. eod c. cùm à nobis. in princ.

quippe quæ ſingularem teſtem à judiciis repellant, vocemque unius tan quam nullius reputent, quantavis dignitate refulgeat; cùmque nihil aliud ſit tortura quàm probationis imperfectæ ſupplementum, ſequitur reum hujuſmodi nec ad torturam,(quæ pœna atrociſſima eſt, & tanquam pœna ſupponit crimen probatum, quum pœnam capitalem exuperet;) nec ad mortem crimini de quo agitur debitam, quum nondum adeò convictus ſit, ut de ſupplicio ſtatui poſſit, juſtè damnari poſſe. Atqui ſi ad plenam convictionem extorquendam, tormentis quorum paſſim in capitalibus uſus invaluit, fides adhibeatur, ſanè quæ vi doloris exprimitur nec ſponte prodit confeſſio, nec confeſſio dici debet, nec legitimum probationis ſupplementum, quum ex præſcripto legum, confeſſio quæ *per neceſſitatem contrariæ*, id eſt, *ſpontaneæ voluntati impoſitam* vi doloris exprimitur, non confeſſio ſed vox doloris mendacii ſuſpectiſſima dici debeat; præſertim in capitalibus, quorum probatio luce meridiana clarior eſſe debet.

c. licet. in primo. extr. de teſtib. l. jurisjurandi. C. de teſtib. l. maritus. C. de quæſt.
Deut. 19, 15. Matt. 18, 26 Joann. 8, 17.

l. 1. ff. quod met. cauſ.

Patet igitur quamdiù de crimine ambigi poſſit, tamdiù condemnatio-

ni rei non eſſe locum; Atqui nihil quotidiano experimento compertius confeſſionem vi doloris extortam plenam fidem non exhibere; etenim ſi Divo Severo viſum eſt *confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere*, ne quidem ſpontaneas, quantò minor fides confeſſioni non ſpontaneæ, ſed tormentorum rabie à contrariâ voluntate extortæ adhibenda eſt: unde ſequitur ex voce vi doloris à reo violenter expreſſa ſupplementum probationis induci non poſſe, atque adeò Judicem qui talibus innitatur, contra divinæ humanæque legis præſcripta, reum non plenè convictum unius duntaxat teſtimonio morti addicere. quæ ſi à theſi, cui hactenus inſtitimus, deducantur ad hypotheſim criminis ſortilegii, cæterorumque quæ excepta ſeu privilegiata à Capitalium Quæſitoribus audiunt, in quibus criminis ejuſdem ſocii ac promiſcua reprobatorum colluvies in teſtes admittuntur, quæro quî teſtis nomen mereatur homuncio ſeu muliercula jure & facto infames, quique non aliam rei notitiam plerumque præ ſe ferunt, quàm ex phaſmate per ſomnum, vel interdiù Cacodæ-

l. 1. §. Divus Severus ff. de quæſt.

d. l. 1. §. ſi quis ultrò.

codæ-

codæmonis operâ ſenſibus illudentis de nocturnis illis Orgiis concepto, quum in confeſſo ſit, iis etiam qui diabolicis illis cœtibus plus tribuunt, ſortilegos his plerumque congreſſibus non intereſſe, ſolâ phantasiâ præſtigioſo ludibrio vitiatâ? nonne Judex ad innocentis damnationem nullâ ſuffragante probatione præcipitabitur?

Jac. Sprang-ger. & Henric. Inſtitor in Mall. malef. p. 2. q. 1. c. 2. Binsfeld. de conf. malef. memb. 1. in fin. concl. 13. Bart. Spin. q. de ſtrygib. paſſim.

Non eſt animus in receptos paſſim ad capitalia proceſſus invehi, ſed quum crimina quæ per actus ſenſibiles admittuntur, & in quibus *corpus*, ut ajunt, *delicti* probationi ſubjacet, utpote ſenſibus obnoxium, minùs Judicibus imponant, quàm quæ Dæmonum præſtigiis falſis rerum imaginibus aut ſopitis aut ſupinè vigilantibus illudunt, facile adducor ut arbitrer, quæſtiones de his criminibus quæ ſub ſenſus cadunt à ſortilegii judicio diſcriminandas, ut qui non ignorem in pleriſque Romanæ ditionis Provinciis, tormentis in abſtruſos illos actus inquiri, ex quibus apud Judices ſortilegi audiunt quibus illorum confeſſio per quæſtiones exprimitur.

Et in priori quidem quæſtionum

ſpecie

ſpecie pronum eſt ex legum Romanarum diſſidio pleniùs arguere, ſolum torturæ metum ab imbecillis mendacem confeſſionem extorquere, idemque dolendi conſuetudinem corporis habitum, vim roburque animi, metum ignominioſæ mortis in robuſtioribus operari; Verum in confeſſionibus reorum ſortilegii quatenus ſortilegium, quum ſortes, pacta cùm Dæmone conventa, præſtigioſa ſtygmata, nocturnæ tranſvectiones ad Diabolica comitia, quæque in iis viſa creduntur, locumque complicum accuſationibus præbent, plerumque Dæmonum ludibriis ſubjaceat, infirmæque reorum menti ſint obnoxia, non imprudenter aſſeritur ſupervacaneum videri de iis violenter inquiri, quæ etſi ſponte confeſſa, Judici dubium duntaxat fidem facerent.

d. l. 1. §. ſi quis ultrò. ff. de quæſt.

CAP. II.

Ex ipſiſmet Roman. legum conditoribus & interpretibus torturæ falſitas aſſeritur.

SAnè in inquirendis criminibus quæ ſenſibus ſubjacent, ſatis conſtat periculo non carere confeſſionem tormentis

tormentis elicitam; unde quum nobis legum Romanarum contagio hæc quæstionis labes inseverit, placet earum auctoritatem ex auctorum dissidio, legumque ipsarum discrepantiâ convellere. Et Paulus quidem Jureconsultus, post Octavianum Augustum, *quæstiones*, inquit, *servorum efficacissimas ad inquirendam veritatem.* Ex opposito Ulpianus ex ejusdem Augusti testimonio, *non esse à tormentis incipiendum* prædicat *neq; adeò fidem quæstioni adbibendam, quum res sit fragilis & periculosa, quæq; veritatem fallat; quum pleriq; tantâ sint duritiâ, ut tormenta contemnent, adeò ut exprimi ab eis veritas nullo modo possit.* Quæro igitur à te, Auguste, quonam abiit quæstionis efficacia, quam mox ad eruendam veritatem tormentis dolorique tribuebas? Ubinam legum invicem pugnantium, Doctorumque dissidentium concordia, sensusque ad fidem exhibendam unanimis? Hinc Paulus, *quæstiones* asserit, *ad eruendam à servis veritatem efficacissimas*: Ulpianus inde, ex ipsorum Cæsarum effatis, quæstionem, *rem fragilem, periculosam, quæq; veritatem fallat* apertè pronunciat; quid si quis objiciat solos dolori assuetos fortio-

d.l.edictum ff. eod.

l. 1. ff. eod. §. quæstioni.

fortiorisque temperaturæ dolori non succumbere, regerit illicet Ulpianus, *alios tantâ esse impatientiâ, ut in quovis mentiri, quàm pati tormenta malint.*

d.l.1. §.eod. ff. eod.

Quænam, amabo, veritatis species in ambabus istis reorum temperaturis? Alii nil dolore moventur: Alii plus fatentur quàm admiserint. Hi mortem reformidant, tanquam malum pejus dolore quem patiuntur. Isti dolori cedunt, maluntque confestim mori, quàm diutiùs tacendo dolere; *ita fit*, teste Ulpiano, *ut etiam vario modo fateantur, ut non tantùm se, verùm etiam alios criminentur.* quid de torturæ mendaci examine clariùs? quid expressius?

d.l.1 §.quæstioni. in fin.

Dices Romanam quidem legem præcisis terminis fateri, *quæstioni non semper esse credendum*; sed tamen instanter subdere, *nec tamen nunquam*: Atqui optarim scire quibus in casibus huic exceptioni locus sit. Forsitan regeret quispiam: in criminibus exceptis locum esse, in quibus à communi probationum formâ receditur, & potissimùm in majestatis & sortilegii judiciis privilegia hæc observari. Quod ad majestatis humanæ divinæque crimen attinet, forsitan alibi commodiùs

l. famosi. ff. ad l. Jul. majest.

modiùs dabitur proferre quid ſentiam; quod præſentiùs urget, eſt, exceptiones illas legi repugnantes diligentiùs excutere.

CAP. III.

Ordinem antiquum judiciorum & divinæ legis ſancita perperam in judiciis criminalibus antiquari.

FArinacius inter rerum capitalium quæſitores ſi non anteſignanus, certè cujuſque criminum minutiæ ad faſtidium uſque moroſus indagator, poſt conquiſitas undequaque in utramque partem Doctorum ſententias, tandem ſuo doctiorumque calculo definit, quòd quantò atrocius eſt crimen de quo quæritur, tantùm abeſt ut de probandi curâ formiſque quicquam remittendum ſit, quin imò tanto majore indagine utendum, nec temerè ad ſubſidiariam torturæ probationem deveniendum, niſi urgentiſſima aliunde ſuppetant indicia quibus crimen ſemiplenè probatum appareat.

De judic. & tortur. qu.37 n.79. Hipp. Riminal. conſ.88. n.53. vol.3. Flamin Cartar. in ſua pract. interrog. reor. lib.4. c.1. n.54. qui teſtatur de communi Doctorum ſententia.

Hactenus æquâ moderatione rem librat, nec ſe patitur abripi à communi ſeveriorum licentiâ, quæ praxim capitalium in abrupta detorſit, à re-

cepto

cepto pridem ſaniorique legum antiquarum præſcripto; ſed quum plures occurrant in devia prolapſi, contrariaque ſentientes, numero territus, paululum à priore juſtitiâ deflectit; poſtquam enim doctiorum juſtiorumque calculis accedens, & ipſe ſuffragio ſuo firmavit, non eſſe à communi capitalis judicii inſtruendi formâ præſcriptoque pridem ordine diſcedendum, adeò ut ne in crimine quidem majeſtatis aut quopiam alio atrociſſimo Principem Judices à lege ſolvere poſſe conſtanter neget; &, ſi contrarium juſſerit, antiquius eſſe Judici Magiſtratu ſe abdicare, quàm mandato obſequi; quod ſi cui parêre contigerit, dignum eſſe in quem ſeverè lege agatur. Poſt, inquam, tot incorrupti judicii præclara ſpecimina, paululum loco cedit, parumque ſibi conſtare, videtur. Duabus, inquit, ex cauſis moti rerum capitalium quæſitores, à communi lege in criminali proceſſu inſtruendo receſſerunt. Ex eorum atrocitate prior cauſa deducitur; Altera ex probationum difficultate. Prior quidem non ſuffragatur præpoſtero huic ordini; quum eò plenior probatio requiratur, quo de gra-

ubi ſupra. n. 33 & ſeq. ubi refert in eadem ſententia & ſequitur Grammatic. vol. 32 n. 9. Julius Clar. prax. qu. 94. verſ. dixi quoq; & Roland. conſ. 12. n. 47 & ſeqq. Vol. 3. Jodoc. prax. crim. c. 55. rubr. de condemn. & punit. in re crim. n. 9. verſ. in enormibus.

graviori crimine agitur, quum inde gravior pœna majorque infamia ſubſequatur. Hactenus juri communi naturalique æquitati quadrat Farinacii calculus; ſed in devia præcipitat dum ſubjungit, habitâ ratione probationis difficilis, licere tantiſper à præſcriptis jure communi formulis aberrare. Sanè ratio cui talis novatio innititur levioris mihi ponderis reputatur; neque enim criminum quantumvis atrocium probatio difficilior majorem torturæ veritatem conciliat; quantò enim difficilius crimen inveſtigatur, tantò plus periculi aditur fallaci torturæ experimento.

Ex præſcripto divinæ legis Judæi quondam ad ſummi Sacerdotis judicium in abſtruſioribus remiſſi ſunt, quòd in eo Deus veritatem ſcientiæ conjunxerat; ſed tortura, nedum divino jure non inducta eſt, quin imò ex diametro repugnat præſcripto divinæ legis ad probanda crimina, quum ſit vox mendacii quam Deus execratur, cuique ut ne fides haberetur expreſsè prohibuit; per vim enim, tormentorumque rabiem ab invito extorta confeſſio, de mendacio ſemper ſuſpecta eſt, ipſiſmet etiam auctoribus qui quæſtionibus primùm *Exod. 28. n. 29.*

usi sunt; quum igitur criminis atrocitas pleniorem clarioremque probationem exigat, ejus difficultas eandem prorsus diligentiam exigit, quandoquidem ejus defectus & negligentia iisdem periculis subjacet, majoremque infamiam irrogat, atque adeò Quæsitores & Judices eâdem lege tenentur ab antiquo juris præscripto non recedere.

Frustra igitur voto suo sancit Prosper Farinacius, Judicem cui relligio sit à recepto legum juriumque decreto deviare, solutionem à lege Principis implorato arbitrio petere, quum expresse senserit Judicem rescripto Principis non teneri, si quando à legitimis juris cautionibus ad torturam temerè provolare jubeatur; si enim Princeps contrarium jusserit, in cassum consulat qui consultis stare non teneatur, quatenus legum antiquiorum sancitis æquitatique naturali repugnant.

d. n. 73. & seq.

En utrumque fulcrum cui privilegia hæc innituntur planè convulsum, nosque adeò juris communis æquitati restitutos, quâ nobis districtè præcipitur, in atrocioribus inquirendis majori utamur diligentiâ. Certè nemo tam perditæ dementiæ est ut asse-

asserat, minoris intersuturum reorum, tormentis fortiùs resistere, cùm de minori infamiâ suppliciòque agitur, quàm si de noxis minoribus ageretur. Nec minore delirio teneretur qui timidos imbecillesque fortiori animo tormentorum quibus passim in capitalibus inquirendis utimur, vim rabiemque laturos assererent, quàm mitiùs torti in levioribus resisterent; itaque, quum reorum periculum, torturæque fallax & ambigua probatio utrinque paria sint, patet in exceptis criminibus haud veriorem probationem eliceri, neglectis juris antiqui cautionibus, quàm in levioribus & communibus, retento juris antiqui processu legitimo eliciatur. & hâc veritatis efficaciâ tandem convictus Farinacius, aliique non admodum pauci, fateri coacti sunt, non licere præscriptas antiquo jure processus instruendi formulas, præterquàm explorato prorsus crimine, quum jam de supplicio agitur, prætergredi.

Marsil. in pract. §. diligenter. n. 157. & seqq. Feller prax. crim verb. quòd suffocavit uxorem n 57. Carver. eod. tit. §. circa quartum. n. 8. Roland. Cons. 7. n. 42. vol 1. & cons. 12. n 72. & seqq. vol. 1.

Quid si ex ipsismet Augusto, Ulpiano, Farinacio, Julio Claro, Binsfeldio primariisque per Germaniam, hæreticæ, ut ajunt, pravitatis, sortilegiique Quæsitoribus; imò ex ipsis le-

quos, cùm aliis pluribus, refert & sequitur idem Farinacius qu. 37. n. 90.

gibus quibus torturæ uſus innititur ſententiam noſtram probaverimus, ecquid, amabo, dubii ſupererit? Hoc idem paulò ſuperiùs ipſius Ciceronis veriore teſtimonio convicimus, nec levioribus argumentis inferiùs nitemur aſſerere.

CAP. IV.

Ex atrocitate torturæ Confeſſionum vi extortarum incerta fides arguitur.

JAm verò illud in primis expendamus, quotuſquiſque inter natos homines ex Ulpiani confeſſo in tormentis mendacio non ſubjaceat. Ac jure quidem arbitror humanum genus univerſum in duas illas reorum ſpecies poſſe dividi, quas mendacii ſuſpectas in tormentis lex ipſa Romana profitetur. Sed amabo quot in utroque hominum ſexu ſupereſſe credimus, qui negando dolori aſſueſcant, aut falſum doloris impatientiâ non fateantur: Atqui, ſi de ſpecie illâ mediâ inter homines bonâ fide conveniri poſſit, quæ fortiter tacendo vitam ſuam dolore, quatenus poſſit, non redimat, aut ſemel, falſum fatendo, mori non malit, quàm pertinaci ſilentio

tio continuæ carnificinæ ſubjacere, contrariæ ſententiæ lubens ſubſcribo. Faceſcat hinc abſque dubio ſexus omnis muliebris, doloris impatientior, temperieque corporis imbecillior; quod ſi quis Leænam mihi quandam aut Epicharim objiciat, quæ conſpirationum, illa in Piſiſtratidas, hæc in Neronem, conſciæ, nullis ad fatendum tormentis adigi potuerunt, in promptu regeram fœminarum par exoticum legem contra communem ſexus temperaturam non ſanxiſſe, quum ex adverſo ſuppetant innumera muliebris impatientiæ experimenta.

Plin. hiſt. natur. lib. 7.

Tacit. annal. 15.

Hactenus majorem humani generis partem doloris impatientiâ mendacii in quæſtione convicimus, ſexum, inquam, muliebrem, ſupereſt ut in noſtro virile robur expendamus. Ac de me quidem, ingenuè fateor, quicquid in memet faſſurum potiùs ut promptâ morte viribus humanis intolerandam cruciatuum ſeriem redimerem; nec dubito quin ingenuus quiſque, ſi Stoïcos aut Atletas aliquot excipias, idem de ſe fateatur. Nempe, ut à reo, de cujus flagitio etiamnum quæritur, Confeſ-

ſionem unicæ morti obnoxiam exprimamus, hunc omni cruciatuum laniená per mille mortes exanimamus; quin potiùs pro comperto credimus, reum quantumvis innocentem, mortem unicam potiùs electurum, quàm per inexhauſtam tormentorum ſeriem centies exanimari?

Quis neſcit Judicum nonnullorum ferinam ſævitiem, tam dirè ſuppliciis inhiantium, ut priſcorum tormentis non contenti, atrociſſimis ex ipsâ tyrannide quæſitis pœnis ad quamlibet reorum confeſſionem graſſentur. In hujus notæ Judices Binſfeldius ipſe, etſi quæſtionis aſſertor acerrimus, acriùs invehitur. *Doctores* (inquit) *Judices novos & inuſitatos torquendi modos invenientes aut inventis utentes, carnificibus comparant; & ſanè in hoc maleficij crimine durum & inhumanum & ab omni humanitate alienum eſt, quod quandoq; Judices non meminerint ſe agere cum hominibus, quando diros & omni tyrannide & crudelitate plenos torquendi modos adhibent, ut candelas ardentes carnibus apponentes, aut oleum calidum infundentes &c.* & paulò ſuperiùs; *Ita*, (inquit idem Binsfeldius) *ut rei ſæpe vitam aut amittant, aut tam miſeram ſervent,*

Jul. Clar. à Binsfeldio citatus, & poſt illum Franc. Pogna 3. part. Direct. comment 39. & alij paſſim

Binsfeld. Comment. in tit C. de malef. cõcl. 6. q. 1.

cõncl 5. ad leg. etſi excepta. C. de qu. qu. 1.

vent, ut magis mori quàm vivere ſaniore judicio exoptandum foret, quum ita tormentis aut membra dilacerentur, aut certè debilitentur, ut in perpetuum inutiles ſint homines laboribus, & nunquam, quamdiu vita agitur, tormenta deſinant.

Poſt tamen tot compertos quæſtionis abuſus, parùm adeò ſibi conſtat Binsfeldius, ut etiam calculo ſuo Marſilii inventum approbet, qui tormenti genus ad confeſſionem eruendam invenerat, quo (ut ait Binsfeldius) corpus non læditur. *Reus* (inquit ex tortore Marſilio) *ponitur ſuper ſcamno ad ſedendum, & ibi adſunt duo qui eum cuſtodiant, ut non dormiat de die nec de nocte, & quum ipſe reus inclinat caput in unam aut alteram partem propter ſomnum, famulus qui eſt ab illa parte dat cùm manu ſibi in capite, & excitat eum ut elevet caput. Idem facit alter famulus quando caput inclinat verſus ſuam partem; & quando illi duo ſunt defeſſi, & volunt dormire, alÿ duo novi ſubrogantur in locum illorum, & non permittunt unquam dormire & quieſcere, donec omnia confiteatur, promiſſâ ſibi quiete, & in duabus noctibus & uno die hoc modo defatigabitur & confitebitur.* Fatetur Marſilius ſæpe ſe uſum hoc tormento contra obſtinatos, & ait; *verè nemo tam* *ibidem.*

ferox invenitur qui huic tormento possit resistere.

Apage hominis sacris initiati vecordiam! quis ferat tantam in sacerdote theologo humani sanguinis sitim? O suavem admodum perdendorum innocentium viam! Adeò pertinaciter insevit hominum ingeniis diabolica quævis sæviendi feritas præpostero fucata zelo justitiæ! Siccine sacrorum etiam Misse administro, sub verbis illis saginam pinguiorem redolentibus auctore Marsilio impune nobis obtruditur, sub specie *tormenti ridiculi*, puta levis & innoxii, crudelissimum omnium supplicium, quo usu Romani Pœnique sunt, illi ut Persem Macedonum Regem captivum extinguerent, hi ut ab Asilio Regulo pœnas falsæ legationis exigerent quas potuere gravissimas; &, quod potissimum in istis mireris & doleas, qui spretâ ratione totum auctoritati tribuunt, ipse etiam Bodinus quâ ingenii feritate est, barbarum prorsus ac inhumanum Turcarum supplicium nobis obtrudere non veritus est, quo fixis ungues inter & digitos subulis veritas inquiritur. Quin imò Florentinam seu Tuscam, ut vulgò

Marsil. in l. 1. ff de qu. n. 76. relatus à Farinacio qu. 38. n. 70.

lib. 4 cap. 1. Dæmonoman.

vulgò ajunt, vigiliam prædictis tormentis additam; tormenti genus optimum ad expugnandum quodvis reorum silentium asserere non erubescit.

Equidem fateor per hæc tormenta nullum reorum membrum de fracturâ periclitari; sed longè gravioribus pœnis subjiciuntur, dum quadraginta horarum spatio cruciatibus morte gravioribus subjacent, tamdiu enim somni quietisque, sine quâ corporis humani compages sine dubio labascit & solvitur, infesto tortore lancinantur, donec vitæ tædio, ac necessitate quiescendi, ad quævis falsa proferenda crudelissimè adigantur. Ecquid evidentiùs isthuc tormentum cæteris immanius arguit, quàm quod nemo ex illo inconfessus abibat? Et apprimè quidem sibi plaudit in illo Marsilius, quod indesinentem materiem ejus crudeli carnificinæ sufficeret; sed nescit Binsfeldius Italos præ cæteris mortalibus ad quæstionis usum proniores, quippe quorum inventum sit criminum occultorum per tormenta indagatio. *Marsilius* (inquit ille) *quosq; robustissimos ad fatendum compulit*; sed nescit homo nimiùm severitati indulgens, quod tardiùs

aliquando in plurium Quæſitorum perniciem revelabitur, quot innocentes maleferiatus tortor pro nocentibus immani crudelitate trucidaverit.

Nec minùs ingenuè fatetur Proſper Farinacius Tuſcum torquendi genus quoſcumque reos ad mortem adigere ſub hoc immani ludentis in hominum perniciem dicterio: *Ex centum martyribus, ne vix duo evadent, quin in Confeſſores abeant.* Quis non ſtupeat ingeniorum diritatem potiùs an cœcitatem? nempe quibus immane ac planè diabolicum torquendi genus eò ipſo probetur & arrideat, quò potiſſimùm ejus uſus, non explodendus modò, ſed planè execrandus extirpanduſque fuit, Binsfeldio in primis conſcio teſtanteque, quorundam reorum inexpugnabilem eſſe per quævis tormenta ſilendi conſtantiam, neque adeò reum de crimine convictum eſſe, qui per tormenta ad confitendum adactus eſt; nec minus in quoſdam alios operari ſolum torturæ metum, adeò ut ad redimendum immanem cruciatum falſa in ſemet ipſos profiteantur. Quam igitur torturæ veritatem Romani tribuerint ex promiſcuâ falſum confi-

confitentium reorum multitudine quilibet defæcatioris ingenii lector facile depræhendet.

Sed quò apertiùs inferas, torturam genus esse supplicii à Diabolo in hominum perniciem invectum, illud potissimùm notandum est, in tantâ capitalium Quæsitorum Scriptorumque frequentiâ, vix unum aut alterum reperiri, qui Judices torturæ nimios dicteriis probrisque non proscindat. Brunus & Baldus talionis pœnam in eos statuunt, qui reos in tormentis mutilant aut extinguunt. Nec mitiùs in eos invehuntur Farinacius, Clarus, cæterique rerum capitalium Jurisperiti, adeò ut prorsus nemini non pateat torturæ non modò mendax injustumque testimonium, sed pœnè comperta ac explorata tam crudelis lanienæ injustitia; & quamvis nemo consorti Doctori parcat, dum theoricè & in præceptis loquitur; nemo tamen sibi temperat in praxi. Cujus quidem tam deploratæ cœcitatis una ratio mihi videtur, quod in solâ casuum possibilium speculatione, Scriptorum ingenium pacatè sedatoq; animo rem complectitur; at simul reus oculis obversatur,

tùm

tùm demùm Quæsitori certamen oritur, contenditque hostili animo, ut tacentem reum ad omnimodam confessionem adigat. Tunc demùm excedit animo Quæsitoris pacata illa temperies, tùm demùm minis & tormentorum truci apparatu ad vim silentio inferendam pertinaciter accingitur, probroque sibi ducit ac dedecori, si sibi reum impunem aut inconfessum elabi patiatur. Hinc contentius studium ut silentium expugnet & ad eloquium compellat. Hinc verborum rixæ & jurgia; Hinc contumacis, impœnitentis, subdoli, Magi, veneficique produnt improperia. Sanè Quæsitor hos inter turbines æquam animi temperiem non retinet, neque ampliùs prudentiæ illius arbitrio locus omninò relinquitur, ad quod Theorici quibus aqua, ut ajunt, semel hæserit, Quæsitorem solent remittere.

De his abusibus idem mihi planè præfari liceat, quod quondam Cornelio Tacito de Mathematicis, *quorum genus hominum*, inquit, *semper in urbe retinebitur & vetabitur*. De torturæ abusu, iniquisque quotidie ab ea promanantibus judiciis, semper inter

Hist. lib. 1.

Do-

Doctores conveniet, inter Judices in praxi nunquam, nisi summo Principum imperio torturæ sævities & iniquitas aboleatur.

Vidimus immanem Marsiliani tormenti carnificinam, patensque ex ejus usu cuilibet innoxio præcipitium. Jampridem Cardinalis Zabarella, innumerique tùm sacri tùm profani scriptores, non hujus modò tyrannidis, sed & simplicis & priscæ per pensilis trochleæ tormentum quæstionis usum detestati sunt; sed tantùm abest ut ab immanitate torturæ discedatur, quin, teste ipso Farinacio, nova quotidie ab Italicis ingeniis Diabolicæ diritatis tormenta prodeant, adeò *Florentinæ* (ut indigitant Itali) *vigiliæ* crudeliora ut nulli prorsus hominum, quantumvis Athletico, cujusvis falsi criminis confessionem non exprimant. *Est nempe* (inquit ipse Farinacius) *tormentum insupportabile, tum ratione temporis, tùm ratione immensi cruciatus & doloris.*

d. qu. 38. n. 71.

Si cui lubet igitur ex Farinacio tormenti planè diabolici diros apparatus audire; fatebitur procul dubio quisque cordatus nihil ex infernis tetrius nihil atrocius in hominum perniciem

niciem prodire potuisse. Equidem si ad primos torturæ introductores animum adverteris, dices ex Averni malis geniis tyrannorum ministerio prodiisse ad innocentum excidium. Sanè si Syllæ Octavianoque Dictatoribus excidisset, quâ tempestate in quosvis sibi suspectos certum molirentur exitium, quâ arte, quo consilio in ingenuos equuleo, ungulis latera sulcantibus, flammâ denique ferroque tam immaniter sævirent, quis adeò Romæ mente perditus, ut tyrannorum libertatis studiosis infestorum rabiem non execraretur? Quotusquisque inveniretur, qui verbis istis tyrannorum consilium prodentibus applauderet. *Tortura vis est efficacissima ad opprimendos quoslibet ex tyrannidis meæ commodo libuerit, ac specie confessi per tormenta criminis, in eorum bona confiscatione ut vulgò ajunt, seu mavis publicatione grassandi?* Ipse hominum osor, homicida ab initio, cujus inventum tortura est, quique jam tunc per quæstionis cruciatus innocentibus Christianoque nomini excidium moliebatur, sub larvatâ justitiæ bonique publici specie teterrimam proborum perniciem invexit, animisque tyrannorum

norum

noſum fucandæ crudelitatis & avaritiæ artem, ſubdolus fraudum artifex, inſpiravit. Hinc ad Tiberios Neroneſque deducta ſævities, ſerviles illos infamium ſæculorum Juriſconſultos ſortita, in genus omne Romanum, ſpecie majeſtatis aſſerendæ, velut in vilem mancipiorum colluviem quæſtionis tormenta propagavit. Sic nempe viſum eſt abjectiſſimæ hominum ſorti, tyrannorum ſibi gratiam optimè iri promeritum, ſi ſalutem frugi hominum, eoque nomine tyrannis inviſorum, doloris intolerandi miniſterio communi cùm ſceleſtis diſcrimini ſubjicerent.

Sed impune non ſtetit *hominibus*, (ut cum ipſo Tiberio loquar) *ad ſervitutem natis*, innocentium periculo tyrannorum gratiæ litaviſſe; non ſic æterno juſtoque noxarum vindici viſum abire ſordidiſſimum hominum genus; quin imò, ut plerumque aſſolet, Romanorum operâ firmatam tyrannidem in Romanorum ſupplicium diutiſſimè ſuſtinuit. Hinc Epicureo illi Tacito de diis ſuis querelæ impiaque dicteria, quaſi non ſatis curæ foret ſuperis projecta Romanorum ſervientium incolumitas, ſatis ſuperque

Tacit. in Tiber.

lib.1. hiſtor. c.1.

foret

foret peccantium ultio, Tot tantæque ſcripturientium Italorum catervæ, qui barbaris adhuc ſæculis aut vix à barbarie convaleſcentibus, in reperta Piſis Romani juris volumina commentandi ſtudio irruerunt, necdum ſolide eruditi, quicquid leges illæ in lucem reduxerant pro veritate reputarunt; quin imò Romani nominis præſumpto ſtudio, divinæ legis auctoritati praxes methodoſque tyrannicos prætulerunt, non animadverſo, quàm corrupto ex fonte manaverint quæ ſub ſeneſcente Republicâ, Cæſarumque priorum tyrannide in judicia irrepſerant. Propagato deinde ad ciſalpinos inſanabili ſcripturiendi pruritu, quicumque principum veſtigiis inſtiterunt, iiſdem ferè verbis nobis uſque ad nauſeam eadem obtruderunt; &, quaſi deluſorum numerus pro veritate reputetur, quicquid injuſti leges illæ patriæ protulerant, in dominantium gratiam, calculo ſuo comprobarunt. Quaſi verò Regum noſtrorum, adeò à tyrannorum ſorte & injuſtitiâ abhorrentium, ſaluti non aliter conſulatur, niſi in atrocioribus & abſtruſæ probationis flagitiis à jure communi recedatur.

cedatur. Hinc illæ crassiore Minervâ, aruinamque atque adipem redolenti stylo sermoneque expressæ sententiæ, *licere in his processibus nullum antiqui juris ordinem servare, criminis ejusdem sociorum, jure ac facto infamium virorum mulierumque testimonia passim admittere, torturæq; cruciatibus quamlibet infirmam nutantemq; criminum probationem fulciri*; sed demùm paucis abhinc annis solidioris ingenii scriptoribus visum est, nullo quantumvis atroci flagitio inquirendo, licere à communi juris antiqui methodo recedere, huncque legitimæ convictioni limitem nemini liberum esse prætergredi. Ita Farinacius quæstione 37. num. 9. *Illud enim* (inquit) *quod pro ratione adducunt* Doctores *contrarij, quod scilicet in atrocissimis liceat Judici jura transgredi, vel non verum est, nisi consulto Principe, ut supra admonui*; (sed & nos huic distinctioni superiùs occurrimus) *vel si aliàs verum, procedit quando jam constat de delicto; secùs quando solùm quis imputatur, & sic procedit pariter in puniendo, non autem in torquendo, & procedendo*; ubi Innocentium, Marsilium, Follerum, Caneram, Rolandum, Brunorum à Sole, Hyppolitum, Riminaldum ac

Menoch. de arbitr. jud. qu. n. 9. Innoc. in c. 1. de constit. Clar. in prax. in fin. Mascard de prob. l. 3. cõclus. 1385. n. 13. & seqq.

Perſonalem Julio Claro contraria ſentienti opponit, ſuoque calculo ex communi Doctorum ſententia aggregat.

Et Binsfeldii quidem judicio Marſiliana tortura genus eſt torquendi mitiſſimum & cōmodiſſimum, quum in illius cruciatibus genus omne reorum perniciem indubiam ſortiatur. quid de quæſtione illâ Romanâ quam toties nobis inculcat Tullius, quæ flagris, igni ferroque exercebatur;? quod ſi cui lubet Romanæ carnificinæ diros apparatus ex integro ſcrutari, Carolum Sigonium, Guidonem Panricolum, alios ſcriptores Italos conſulat; ſed omiſſis antiquæ tyrannidis cruciatibus, non mitiores ætas noſtra proferet, penſilis, (inquam) trochleæ notam cunctis Italiæ compitis torturam, quâ humani corporis compages, contra Romanæ legis præſcriptum, diſſolvitur, graviuſque reo nondum convicto ſupplicium irrogatur, quàm ſi manus utriuſque mutilatione puniretur. quam tamen torturam Binſfeldius, perperam, ne dicam inſciè, cùm fidicularum tormento confudit, dum ejus tormenti uſum ex lege Romana probare nititur; *uſus*, inquit,

Car. Sigon. de antiq. jur. Rom. lib. 3. c. 17. Guid. Panzirol. var. lect. lib. 1. c. 41.

Auth. ut nulli judicum &c. 134 §. quia verò nos oportet. collat. 9.

aut

modus fune torquendi, solus videtur ex jure colligi; lex enim quarta Codicis quam ad errorem suum tuendum usurpat, de *fidiculis*, non de *fune* ex trochleâ pensili loquitur, quæ tormentorum genera toto cœlo à se invicem discrepant; nullum enim in fidiculis solvendæ compagis corporeæ periculum, ut in trochleæ cruciatu; nam, ut optimè Guido Panzirolus Jureconsultus item Italus ex Regio Lepidi, *ubi tormentis opus erat, non ut hodie quæstionis gratiâ rei revinctis manibus fune subducti quassabantur: imo id jure prohiberi videtur § quia verò nos oportet, in Authent. ut nulli Judic. seu Novell.* 134. *qua tormenta prohibet quibus articuli dissolvuntur, ea enim utriusq; manus abscissione graviora appellantur.* hæc Jureconsultus Italus in gentilium suorum immanitatem ingenuè profert, probro Germani Theologi totiusque Italiæ insigni infamia, quæ invito Justiniano, imò expresè prohibente, vetito torquendi ac puniendi modo huc usque abuti non erubescit.

Thesaur. var. lect. lib. 1. *cap.* 41.

Adde totâ Hispaniâ receptum vigiliæ tormentum, quo reus totis musculis septem horarum spatio suspensus, ne ferro acutissimo quod ejus ob-

ſcenæ ſedi imminet, acerbiſſimo cruciatu compellatur inniti, adde Marſilianam ſeu, ut Bodino placet, Florentinam vigiliam, cujus jam dudum meminimus; Adde & tripodas noſtras ignitas, quibus mulierculas ſortilegii inſimulatas imponimus, tetri carceris pœdore marcidas, podicis manicisque ferreis plerumquo præpeditas ac ſemineces; nec pudet rerum capitalium quæſitores per tartaream hanc lanienam veritatis inquirendæ ſpecioſo velamine in generis humani perniciem tam immaniter graſſari.

Fateor nonnullos hominum adeò doloribus quondam per continua verbera ſub immani Romanæ ſervitutis jugo aſſueviſſe, ut ægrè tormentis ad fatendum adigerentur; ſed ſi quem tam obſtinati roboris inveneris, innumeri ex adverſo ſuppetent adeò doloris omnis impatientes, ut ſolo torturæ metu quidvis potiùs in caput ſuum proferant, quàm inhumanæ ſeſe carnificinæ ſubjiciant; quumque parvus ille robuſtorum numerus novam hominum ſpeciem non inducat, ſequitur unum aut alterum Athleticæ indolentiæ exemplum exceptionem à communi humanæ temperaturæ numero non inducere. Sed

Sed eſto puſillus ille durioris temperaturæ numerus alteram in hominibus ſpeciem inducat; quid inde argues, quam quod ea ipſa reorum ſpecies legum Romanarum teſtimonio veritatem corrumpat in tormentis; quumque genus illud hominum doloribus inexpugnabile conſtet ut plurimum ex flagitioſorum colluvie, ſive, ut ſortilegii Quæſitoribus viſum eſt, ex incantatis magicoque carmine ad ſilentium ſenſuſque omnis torporem induratis, ſequitur ſolos innocentes ac ingenuæ ſortis homines tormentis ad ſuam perniciem induci poſſe. Quorſum igitur evaſit media illa reorum ſpecies cui in tormentis fides adhibeatur?

Vlpian. in d. l. 1. ff. de quaſt.

En efficacem per quæſtiones indaginem, quâ Judex quærendi ſtudio in tranſverſum raptus, per medias Syrtes in reorum innocentium graſſatur exitium, falsâ vindicandi criminis ſpecie deluſus. At quantò prudentiùs crudele illud effatum Octaviani Cæſaris Paulus ſilentio præteriiſſet, quum triumviratus ſui potius tyrannidem, quàm imperii moderatam æquitatem redoleat? Nonne ſatiùs

tiùs fuit hanc criminum indaginem ex doctorum piorumque Cæsarum arbitrio moderari? quantoque major Ulpiano quàm Paulo gloria quæsita est, quod aurea illa Veri Antoninique Cæsarum verba in responsis suis sacrarit. *Si quis ultrò de maleficio fateatur, non semper ei fides adhibenda est; nonnunquam enim aut metu aut aliâ de causâ in se confitentur?* Cui, amabo, fide digno magis saniorique testimonio innixi, torturæ mendacem fallaciam expendamus. Ac nescio an Farinacius satis sibi constiterit, quum sibi excidere sequentia verba passus est: *Tortura tantam vim esse, ut in ea persistens negando, aut non persistens fatendo, quicquid dixerit puram veritatem dixisse præsumatur.* Sed in hunc errorem alieno testimonio prolapsus, non sibi temperat quin duo illa Ciceronis Augustique testimonia quæ pridem convulsimus, in opinionis, suæ subsidium adducat. Non me piget igitur Octaviani verba denuò recensere.

d. l. 1. §. si quis ultrò ff. de qu.

q. 40. n. 1. & qu. 43. n. 15. contrariũ sensere Alber. in d. l. edictum & super ead. gloriâ verb. efficacissimas. *& post eum Covarruv. pract. qu. c. 23. n. 5. vers. nam licet probationes.*

Ac primùm quidem lex illa quam Paulus ex Octaviani edicto triumvirali nobis obtrudit, de servis solis loquitur, hominum genere dolendi assueto, quique solùm super crimine alie-

alieno quæstioni subjicerentur. Quæ, amabo, temperaturæ paritas inter genus hominum flagris omnique dolendi genere induratissimum, quodque sola criminis alieni confessione dolendi sibi finem faceret, ac ingenuos doloribus inassuetos, quique promptâ falsi confessione ab infinito cruciatu morte unicâ sese existimant? Secundo loco verba illa Augusti, seu Pauli mavis, nullam quæstionibus efficaciam tribuunt quoad veritatem indubiam, quum, ad eam solùm *inquirendam* non item ad inveniendam earum usum approbent. Atqui multa sunt ad inquirendum efficacia, quasi dixeris accommoda, quæ non ideò certam reperiendi efficaciam sortiuntur. Omnis quippe venator seu canis venaticus ad vestigandas feras est efficax sicut & in scrutandis metallici generis fossilibus cunicularius omnis; sed non inde certò sequitur, venatorem omnem aut cunicularium ad reperiendum quæ vestigat certum esse & indubium artificem. Tertiò & postremò verba illa indeterminatæ sententiæ Octaviani edicti, quæ solum *quærendi* vim innuunt non inveniendi cer-

titudinem, ab ipſomet Auguſto quinquies aut ſexies mendacii convincuntur, & ab Ulpiano cœteriſque gravioribus Romani juris interpretibus, refelluntur & improbantur, quippe qui plerique omnes torturam aſſerant *rem eſſe fragilem & periculoſam, quæq; veritatem fallat*, atque adeò Auguſtum ipſum, *fidem quæſtioni non adhibendam* conſtituiſſe affirment; quin & idem fatetur Proſper ille Farinacius quæſtione ſuâ quadrageſimâ tertiâ de indiciis & torturâ, numero quinquageſimo ſecundo.

l.1.ff. de qu. & § quæſtioni. eod. tit.

CAP. V.

Tullij ſuper torturæ veritate teſtimonium ex ipſo Tullio refellitur.

ITerùm igitur corruit prius illud Auguſti, Paulo repetente, teſtimonium; Jam verò alterum aggrediamur torturæ veritatis præſidium, quod ex Tullii Arpinatis argutiolis Proſper Farinacius in ſententiæ ſuæ propugnaculum adhibet, cæterique tormentorum aſſertores ex antiquo errore mutuati ſunt. *Nam* (inquit Cicero ad Trebatium) *& verberibus, tormentis, igne fatigati quæ dicunt, ea videtur*

In topicis

detur veritas ipsa dicere. Sanè si veritas ipsa quam nec Augustus nec Cicero nec Ulpianus nunquam novere, quum Deum, qui germana veritas est, ignoraverint; Si, inquam, veritas ipsa Sophistam nostrum Arpinatem, qui toties Æsopiani Satyri exemplo eodem ore calidum spiravit & frigidum, semel responso dignaretur, mendacii procul dubio Tullium Augustumque argueret, ingenueque fateretur, se non plus ex tortorum mancipiorum ore, quàm ex Romanis idolis prodiisse. Sed ne oraculum hoc à divino veritatis ore sollicitare videamur, quæso, si Rhetori huic Academico contrarium prorsus expresserim? cui potiùs testimonio pro libito variantis hominis innitamur? sanè sinceriori. Sic igitur eadem de re sentit alibi. *Quæstiones nobis servorum ac tormenta accusator minitatur; in quibus, quanquam nihil periculi suspicamur, tamen illa tormenta regit dolor, moderatur natura cujusq; tum animi, tum corporis, gubernat quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis veritati nihil loci relinquatur.* Ac primùm illud advertendum est, Tullium Ciceronem, quum de torturæ

Orat. pro Lucio Syllâ.

fallaciâ, ut hic & paulò inferiùs, loquitur, ingenuè & ex animo præscriptis terminis illam asserere; at quum, ut alibi passim, de ejus veritate sermo est, solis ambagibus ac ancipiti verborum sensu auditoribus obrepere. *Verberibus* (inquit) *torti quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.* equidem non ambigimus quin & mendacium incautis sæpissime pro veritate irrepat; adeoque inducor ut sentiam, si Princeps quilibet antequam cuique rerum capitalium Quæsitori jurisdictionem attribuat, eum semihoræ spatio trochleæ pensilis tormento expenderet, saniore certè experimento, de confessionibus tormentorum rabie extortis decreturum, meliusque reorum innocentiæ consulturum. Nempe Augustus & Cicero de solâ verisimilitudine loquuntur: Recentiores nostri vim omnimodam indubiæ veritatis quæstioni tribuunt. Nil certius Augusti testimonio, asserentis torturæ cruciatibus servos ad loquendum efficaciter induci, sed æquè verissimum est, nihil in rebus incertius, quàm veritatis harum confessionum certitudinem.

Sed si contrario testimonio prioris
testi-

teſtimonii Tullii fidem lubet convellere, juvat huc adducere quæ de re eadem alibi profatus eſt. *Sæpe etiam (inquit) quæſtioni reſiſtendum eſt, quòd & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti ſæpe ſunt, moriq; maluerunt falſum fatendo, quàm verè inficiando dolere*; & cœtera, quæ priùs à nobis diſcuſſa ſunt. Jam verò eligat cordatus quiſque, tot inter mentientis torturæ ſpecies, quis ex faſſis in torturâ reis plus veritatis Quæſitoribus exhibeat. Partit. Orator.

At, dices, ſi torturæ uſum ſuſtuleris, irrepet illicò ſcelerum omnium impunitas; quumque non pronum ſit reum omnem teſtium ſuffragio criminis convincere, plures cogéris flagitii non affatim convictos ſolvere ex probationum defectu; Eo caſu, ad quid Quæſitorum capitalium ſubſellia? ad quid fiſci regii Procuratores? Reſpondeo, me de ſolo abuſu non de uſu inquiſitionum capitalium conqueri. ſatis ſuperque ſuppetent legitima reorum per teſtes convictorum ſupplicia, quamvis à mendace torturâ abſtineamus; nec Deo minus ſerviemus, tot inſontium honori vitæque conſulentes, quàm ſi ſceleſtorum omnium ſanguine cladeque parum explora-

ploratis litemus accusatorum flagitiis. Reipublicæ quidem interest crimina in lucem prodire ut puniantur; hocque unico fundamento periculosa quæstionum alea innititur. Quis neget interesse Reipublicæ in flagitiosos inquiri vindicarique? non hic agitur de tollendis inquisitionibus, sed ut earum abusus ad saniorem usum revocetur. Quid si probationum inopiâ suspectarum confessionum incerta fides reos aliquot non compertos supplicio eximat, quis nescit satius esse decem sontes absolvi, quàm vel unum innocentem immerito addici supplicio?

l. quum qui nocentem. §. ita vulneratus. ff. de injur.

l. absentem. ff. de pœn.

CAP. VI.

Expenditur abusiva torturæ repetitio.

DIces, capitale judicium non priùs absolvi, quàm reus extra tormenta confessis institerit. Respondeo, præpostero judiciorum ordine invaluisse, ut reus in atrocioribus, semel tolerato quæstionis dolore, non liberetur, sed plerumque trino torturæ cruciatui subjiciatur; unde reus quantumvis innocens, ni quod falsò in tor-

tormentis fassus est, ratum extra tormenta habuerit, justo etiamnum timori subest, ne iterùm imò pluries ad ea retrudatur. In hoc rerum statu quàm miserrimo quivis innocens Regis Prophetæ verbis jure merito clamet: *invenerunt me dolores mortis & pericula inferni circumdederunt me*; ut quî enim se à tormentis exemptum putet, si ter ad illa, retractanti se, patet regressus, mentique ejus, etiamnùm seminecis, atrocissima dolorum species obversetur? Sed si miserè lacero per falsam confessionem morte captatur effugium, quid Judicibus ad sedandos conscientiæ morsus securitatis inde quæritur? nempe ad firmandum prius mendacium reus imminentium iterum atque iterum cruciatuum tenore compellitur, unamque mortem pluribus lethi crudelioris speciebus antefert. Quid mirum? quum tot inventi sint qui minora quàm torturæ incommoda sponte sibi concitâ nece redemerint?

Psalm. 17, 5. 6.

Sed si quispiam fortioris temperaturæ reus confessionem vi tormentorum expressam depositus revocet; si pluries repetitus, silendi contumaciâ supplicio eripiatur, nonne

ne Judices ex legum præscripto præsumptum innocentem solvere coacti, Marsilianæ Contumeliæ subjacebunt apud Binsfeldium, *Macanonico* (ut indigitant Itali Galliæ nobis transalpinæ accolæ.) seu, si mavis cùm Latinis, Osco sermone conquerentis, se quendam reum quicquid in tormentis fassus fuerat toties extra torturam revocantem solvere coactum, *quamvis* flagitiosus, &c. ut crassioribus ejus, verbis utar, *ribaldus esset in excellentia, quia nunquam voluit ad bancum juris ratificare illud quod dicebat in tortura.* Si verò (ut cùm Delrio loquar) *tormentis reum innocentem enecueris, quid tu mortuo prabeas cataplasma?* quo solatio ærumnosæ deinceps ac per omnia dolorum genera traducendæ vitæ succurrant crudeliores tyrannis tortoribusque Quæsitores?

d. tit. de malef. d. l. etsi excepta. q. 1. concl. 12. & 15.

Disquis. lib. 5.

Nec ambigimus repetitam toties cruciatuum illorum immanem sævitiem à communi juris antiqui præscripto abhorrere, irrepsisseque in Christianorum respublicas rerum Romanarum patrocinio; Indubitati enim juris est neminem pro crimine posse torqueri, cujus pœna citra capitis periculum hæreat; cur igitur ex

ana-

analogicâ proportione non prohibeamur, in inquirendis quantumlibet atrocibus flagitiis unicâ morte duntaxat expiandis, iis uti cruciatibus, quorum diritas, duratio & repetitio mortes mille longè ſævitiâ ſuperant? Tortura enim, ex ſeveriorum Judicum confeſſo, ſupplicium eſt, quo graviùs in hominem nondum peractum reum ſævitur, quàm ſi utraque manu truncaretur; quod ſi convictionem pœna præcedat, quid præpoſtero hujus judicii ordini dirius? quid humano divinoque juri ex diametro repugnantius? ſed ſi reus ille verè tandem à Quæſitore peragitur? quid in illo ampliùs puniat, quum pœna convictionem præceſſerit, ſed ſi innocens eſt, tantiſque addictus ſuppliciis, non præcedente convictione, atque etiamnùm criminis dubius, ut qui divinæ juſtitiæ tam contraria dogmata probaveris, quæ ſolâ Paganorum tyrannorumque auctoritate fulciantur? ſequeretur enim, quod abſurdiſſimum ipſi Farinacio viſum eſt, quòd ex modo probandi quis graviùs puniatur, quàm ex modo condemnandi; & ſic pœna, contra præſcriptum divinæ legis, delicto non reſponderet.

Doctores communiter in l. edictum. ff. de quaſt. Aimar. conſ. 135. n. 11. & ſeqq. Marſil. §. expedita. n. 57. & ſeqq. Grammatic. conſ. 15. n. 4. & conſ. 37. n. 14. in fin.

quaſt. 42. n. 14.

Si

Panzir. var. lect. lib. 1. c. 41. Vivez. Comment. in D. August. de Civit. Dei. l. 19. c. 6.

Si lubet à primis torturæ auctoribus inventum ferale repetere, Guido Pancirolus, Ludovicus Vivez, alii, Tarquinium superbum Romanorum tyrannnum projectitium, primùm tormentis in suspecta sibi capita quæsivisse annuent; non aliàs certiora tyrannis tortoribusque in invisos quosque quæsita pernicies. Hinc primi Cæsares *superbi* vestigiis mordicus inhærentes, potiora tyrannidi stabiliendæ præsidia mutuati sunt. Sub Consulibus nullus torturæ usus, nisi in servos; sed simul servili plebis Senatorumque assentatione Cæsares, à legibus soluti, tyrannidem apertè professi sunt, majestatis legem hactenus exoletam in suos usus revocarunt, attributis illius quæstioni violentis illis privilegiis, quæ deinceps sub specie criminum exceptorum censa sunt. Sed Regum Principumque sub quibus ævum degimus sors ex diamertro sorti Græcorum Romanorumque tyrannorum repugnat. Illi salutis suæ securitatem solâ cujusque tyrannidi non suffragantis clade fulciebant. Sub illis primævæ legis intellectus in tyranni solius commodum tum denique totus cesserat.

Satis

Satis ex Tacito conſtat legis illius uſum, ſive, ut ſaniùs loquar, abuſum à Tiberio Cæſare non reductum, ſed inductum, extenſumq; ad caſus, quorum ne ſomniando quidem primi Romani meminerant. Ex Cæſaribus æquioris ingenii Principes acerbiora quidem correxerunt; ſed quicquid ex ejus abuſibus à Trajano, Antonino, Aurelio, Theodoſiis, Juſtiniano correctum ſit, ſupereſt tamen methodus illa exitialis in crimina ſecreta licentiùs necnon leviùs inquirendi, quæ ſanè perſpectæ Principum noſtrorum clementiæ non nihil ſeverioris notæ inurit, quorum ſalus & incolumitas ſtudiis noſtris æquoque illorum moderamini ſecuriùs innituntur, quàm legum judiciorumque ſubverſioni. Invenientur forſitan hujus criminis ſuſpecti, qui fortiori corporis animique temperie pœnæ quandoque ſe ſubtrahant. non pauciores, imò plures dolendi impatientiâ ſeſe ſuppliciis injuſtis ſubjicient. Nihil ab Auguſti, Ciceronis Ulpianique temporibus humani corporis viribus decrevit aut accrevit, quumque innocuo cuique diviti pridem ſit quæſtionibus quæſita pernicies, noſtriſque

Annal. lib. 1.

etiam sæculis prisca Romanorum Græcorumque sub specioso fisci compendio grassans avarities in plerisque sortilegii processibus irrepat, non ex vano metus ingruit, plurimos quantumvis innocentes quæstionibus oppressum iri, si devia illa à communi judiciorum usu privilegia ad occultæ probationis, ac præsertim sortilegii crimina porrigantur.

Sanè si veritatem æquè ac justitiam hujus edicti lubeat in dubium revocare, possim ex æquo contendere, nullum ex scriptoribus, quorum operâ Consulum Romanorum series posteris innotuit, sub Augusti imperio, nec Junii illius Aviti, nec Lucii Aproniani, quibus Consulibus imperante Octaviano Paulus edictum illud nobis obtrudit, uspiam meminisse. Illud tamen in primis necesse est, ut de rei veritate liqueat, neque enim referenti fides adhibenda est, nisi constet indidem de relato. At quandoquidem hactenus ex fide Pagani scriptoris nobis edictum illud obrepsit; esto, de veritate illius nobis cum illo conveniat ex concesso, non ideò de justitiâ minùs nobis contendere licebit ex ipsorummet Augusti Ciceronisque

que verbis, Tullii maximè, ita argutiolam suam iterùm atque iterùm retractantis: *Dolori credi non oportere, quod alius alio reticentior sit in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum, quod denique sæpe scire ac suspicari possit quid Quæsitor velit audire, quod quùm dixerit, intelligat sibi finem doloris futurum.* Ergo ex Tullio ipso saniùs loquuto dolor *comminiscitur*, id est ingenium acuit ad *mentiendum*, & reapse *mentitur*; Non igitur efficax est ad exprimendam veritatem; Ergo Quæsitor solum crimen audire quærit; non veritatem innocentiæ; soloque prolato & expresso crimine dolori finis imponitur; hæc omnia jam inde à Tullii temporibus usu veniebant; quid igitur securæ veritatis in torturâ? quid non comperti mendacii?

Rhethoric. ad Herennium.

Quis nescit Zenonem Eleatem falsâ confessione cunctis Phalaridis amicis creasse perniciem, nunquamque tormentis adigi potuisse ut vera conjuratorum nomina profiteretur? Idem Romæ contigit in Pisonianâ conjuratione. Nobiliores ex conjuratis, re detectâ, tormentis de consciis interrogati, tyranno conjunctiores falsis accusationibus implicarunt,

Val Max. lib. 3. c. 3.

quumque Græca muliercula per omnes cruciatus torta, ne unius quidem ex conjuratis nomen protulerit; ex adverſo viri aliquot degeneres, ſe ſuoſque, vi doloris adacti, falſi criminis inſimularunt, nonnulli etiam, ne tolerato quidem aſpectu eculei. Herodem ſcimus, monſtrum illud hominis ac naturæ adulterantis propudium, in liberorum capita ſæpius de ſervis & liberis quæſtiones exercuiſſe, falſiſque plerumque indiciis ac confeſſionibus propriis filiis perniciem molitum.

C. Tacit. ubi ſup.

Certè promiſcua hæc in tormentis ſontium inſontiumque laniena, ſæpiuſque ſuppreſſa quàm expreſſa veritas, torturam verum ac genuinum tyrannorum inventum arguit, quo ſuæ tyrannidi per clades omnimodas conſulerent. Sed quàm infamiæ notam Chriſtianæ manſuetudini Regumque noſtrorum pietati non inurimus, quum immaniſſimis martyrum ſuppliciis in reos etiamnùm dubios ſub juſtitiæ velo graſſamur, inſuetaque dogmata, Paganorum exemplo, in Chriſtianos mores invehimus, & eorum ſolâ auctoritate ſancimus?

Non

Non aliàs malus ille genius incautorum animis callidiùs irrepsit, quam sub augustæ cujusque rei specie. Quis neget religionis prætextu invectas toties in hominum perniciem clades acerbissimas? quot humanas hostias, sacrilegia, blasphemias, aliaque omnifariam flagitia? ne lex quidem nostra Evangelica feralibus illis næniis exempta est, quum semel, præpostero religionis studio incensi, mutuis in nos cladibus ad arma concitamur, ut traditam per manus religionem conceptumque animo divini numinis cultum invicem vindicemus. An in homine tantis erroribus obnoxio justitiæ religionisque species maneat incorrupta, tot inter excessus defectusque vitia quibus undequaque premitur? quæ quum ita sint non ad quamvis religionis speciem insurgere Christianæ virtutis est, sanctumque justitiæ nomen ad quosvis excessus porrigere, quùm pronum adeò sit in tyrannidem & injustitiam sub immodico justitiæ religionisque studio præcipitari. *Nulla juris ratio aut æquitatis species patitur* (inquit Romani juris interpres Modestinus) *ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, ea nos duriore interpretatione contra huma-*

l. 24. ff. de leg. & senatus.

humanum commodum producamus ad severitatem, ex ſummi enim juris ac juſtitiæ uſu perverſaque interpretatione ſumma exorietur iniquitas, ni in reſecandis abuſibus quos paganorum nobis autoritas invexit totis animis incumbamus. His auctoribus recentiores juris interpretes, dum majeſtate Romani nominis nimium præcelluntur ab æquitate naturali ſenſim devii, in Romanæ tyrannidis vitia prorupe-runt. Sed quamquam inſanabili Cacoëthe longè lateque dominante, catervatim ſuccreſcant in infinitum ſcripturientium Doctorum volumina, quicquid de juſtitiâ & jure ſentiant, opinioni ſanè plerumque ſerviunt, errorique tanquam homines ſunt obnoxii, ut ſemel obtutu naturalis æquitatis excidêre. Hac nempe innituntur divinæ legis dogmata omnia, quorum auctoritati tot tenebris involuta hominum auctoritas nunquam apud bonos prævalet, nec naturalis juſtitiæ vim ac pondus calculorum numero obruit.

Huic tot undique ſcripturientium theoricorum practicorumque claſſes, apud quemque cordatiorem unius duntaxat vicem obtinent; quippe qui Romanæ legis verba præ

divinæ

divinæ legis oraculis reputantes, Pithagoreorum in morem creduli, per apographos ab archetypo, verbis ut plurimùm iisdem derivatos, unam eandemque sortiuntur primævæ opinionis originem, hancque, si Diis placet, incerto auctore marginalem additionem, quam *glossam* vulgus Doctorum indigitat, Tullii toties refutatis cavillis innitentem. Atqui quæstionis usum divinæ legis effatis ex diametro contrarium in sequentibus, Deo juvante docebimus. Hactenus dixisse sufficiat, nullam auctoritatem præter divinam fidem indubiam ab hominibus exigere, eamque naturali æquitati subnixam. Ad hanc unicam Pharon dissertationis hujusce cursum dirigam, quatenus præcisa mihi divinæ legis verba suppetant; sin minùs, ductâ à pari analogiâ, quatenus in aliis ejusdem naturæ casibus sacri legislatoris nobis pateat auctoritas.

in l. edictū. verb. efficacissimus. ff. de quæst.

Oro igitur & obtestor cujuscumque sortis lectorem, sedato animo dissertationis nostræ momenta discutiat, nec priùs in me quicquā statuat, quàm me pleniùs differentem audierit. Scio equidem, & piget, scriptores non paucos injuriis, quùm ratione deficiuntur, in contrariæ sententiæ asseclas

plerumque uti; ſed abſit ut eorum ad inſtar, in quemquam dicteriis invehar. Me potius contumeliis impetat, ſo tilegorum patronum, criminum fautorem inſimulent; quicquid arrogent ſibi, reipublicæ humanæ intereſt rationibus ac incolumitati innocentium, quàm privatorum opinioni Conſuli. Hoc tamen unum interea conantur, ut quæ de ſortilegiis plebejus rumor nobis ingerit, ea calculo ſuo poſſibilia efficiant, quaſi res illis cum *Ponzimbio* quodam Italo aut *Vierio* Clivenſi ſit in præſentiarum, qui ſortilegos & Lamias eſſe in rerum naturâ negare, aut auſi aut niſi ſunt. Satagunt igitur ſtriges nobis & Lemures prædicare, dignos quibus pœna capitalis irrogetur; indeque eliciunt quoſcumque ſortilegii reos ſolâ criminis poſſibilitate damnandos; quòd ſi dixeris, non ideò puniri flagitia, quod poſſibilia, ſed quod in actu perpetrata ſint, aſſerunt ad moralem certitudinem, quando de his liquidò conſtare nequeat, ſociis ejuſdem criminis habendam fidem, quum tamen & ſagæ & lemures humanæ ſocietati jura omnia remiſerint, ac Cacodæmonis effecti mancipia; aut pactis cùm hoſte humani nominis conventis, aut

illuſio-

illusionibus ejus seducti in mortalium perniciem juraverint, sed si iterùm instes accusationes illas sociorum ejusdem flagitii, seu vi tormentorum extortæ sint, fidem ideò non mereri, seu sponte prodierint, esse nihilominus mendacii suspectas, tum denique asserunt, ad torturam, notum satanæ organum, vocemque mendacii compertissimam ac tyrannorum inventum, pro veritate convolandum. Nunc saniorum esto judicium, an humana salus, innocentumque incolumitas tam diris Paganorum dogmatibus perbellè fulciatur?

Sanè peccator, si quando ad sinceram noxarum confessionem adigitur, intenso dolore animi, non corporis cruciatibus compellitur. Ex hac, inquam, afflictione spiritus, quam in nobis pœnitentiæ stimulus operatur; fit enim Deo, quem nemini fallere datum est. Sed tormentis humano corpori quantumvis adhibitis, solas voces de mendacio suspectissimas expresseris; quæcumque enim tam immaniter torto excident, vis & metus exceptioni subjacent, quibus libertas, ingenuitas atque adeo veritas in homine procul dubio supprimuntur. Sed

libet audire primarium fidei nostræ Doctorem hic nobis expresse suffragantem. *Quid quum* (inquit Magnus Aurelius Augustinus) *in suâ causâ quisque torquetur, & quum quæritur utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas; non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse se dicit, quo damnato & occiso, utrùm nocentem an innocentem Judex occiderit adhuc nescit, quem ne innocentem nesciens occideret, torsit, ac per hoc innocentem & ut sciret torsit, & dum nesciret occidit.* Subjungamus sanctissimo pii Doctoris testimonio pium utique ac Christianum tanti viri Scholiastem, ad hæc Augustini verba non minus justè quàm verè exclamantem, *& innocens luit pro incerto scelere. Verè superbi Tarquinij aut etiam tyranni hoc immanioris inventum, tormentis inquiri veritatem, quam nec qui pati poterit proferet, nec qui pati non poterit; nam, ut ait prudens Mimus, etiam innocentes cogit mentiri dolor. Miror Christianos homines tam multa gentilia & ea non modo charitati & mansuetudini Christianæ contraria, sed omni etiam humanitati mordicùs tanquam religiosa retinere. Augustinus necessitate societatis humanæ dicit tormenta adhiberi,*

lib. 19. de Civit. Dei c. 6.

Ludov. Vivez. ibid.

sed

sed cùm Gentilibus loqui quis non videt? quæ est enim ista necessitas tam intolerabilis, si nec utilis est, & sine damno rerumpublicarum tolli potest? Quomodo vivunt tàm multæ gentes & quidem barbaræ, ut Græci & Latini putant, quæ ferum & immane arbitrantur torqueri hominem de cujus facinore dubitatur? Nos homines omni videlicet humanitate præditi, sic torquemus homines ne insontes moriantur, ut magis eorum nos misereat, quàm si morerentur; usque adeò graviora sæpe sunt tormenta quàm mors. Annon frequentes quotidie qui mortem perpeti malint quàm tormenta, & fateantur fictum crimen de supplicio certi, ne torqueantur. Profectò carnificis animos habemus qui sustinere possumus gemitus & lachrymas tanto cum dolore expressas hominis quem nescimus sitne nocens. & de privilegiatis illis processibus ac lege illâ immani ac barbarâ quâ Paulus Deorum inanium cultor societatem humanam, nedum Christianam gentem convulsit, *quid* (inquit) *quod acerbam & periniquam legem sinimus in capita nostra dominari, quum suspiciones tormentis armamus & inimicorum delationibus, si vitas nostras quas expetunt non impendimus, saltem quod proximum est, in tolerandis doloribus non parum gaudij damus.*

Quod-

Quodque in Diabolico torturæ uſu juſtioribus lachrymis proſequaris, Gentilium etiam feritatem immanitas Chriſtiana prætergreditur. In Provinciis quippe Romani juris, ac in ipsâmet Urbe per trochleæ penſilis tormentum de quovis crimine quæritur, quàmvis Juſtinianus ne ſæviri quidem in ſontes convictos eodem tormenti genere præceperit. Ac denique omnem Chriſtianæ pietatis uſum prorſus eliminat recepta paſſim Juris interpretum, Theologorum & Canoniſtarum durities, qui quamvis fateantur, veritatem in tormentis plerumque, ſeu veri criminis reticentiâ, ſeu falſi confeſſione, ex ipſis etiam Romanorum legibus, adulterari, tàm pertinaci tamen iniquæ legis faſcino præpediuntur, ut errori quamvis agnito ſervire malint, quàm in notos abuſus calculis ſuis liberiùs invehi. Ego verò liberè profiteor conſcientiæ Judicis parùm conſultum, poſtquam reum ſupplicio addixerit extortâ cruciatibus mendacii ſuſpectâ confeſſione; planè ut cum Auguſtino iterùm liceat amarè de Judicibus illis conqueri, quòd nefas eſſe non ducant cruciatibus ad fatendum

Auth. ut nulli Judicum. §. quia verò nos oportet.

adactos

adactos innocentes ſupplicio iteratò affici, quùm jam torti fuerint innocentes, ita ut aut pro uno crimine millies, aut pro nullo etiam in tormentis expirent.

Hos legum ſaniorum abuſus unâ duntaxat ratione defendere nituntur neoterici legum interpretes; nempe moralem certitudinem abſolutam in rebus moraliter poſſibilibus non reperiri, atque ideò Judici ſufficere probabilem certitudinem, ut iis acquieſcat placitis quæ legibus Syllanianis aut Cæſarianis aut conſuetudine ſancita ſunt. Sed ſi fortiter ex intimo lancinet conſcientiæ ſtimulus, quod rei nondum convicti fallaci torturæ ſubjiciantur examini, judiciumque capitale ſuſpectâ mendacii confeſſione fulciatur, non video quâ animi ſecuritate degat qui talibus urgetur, nec quomodo divinæ juſtitiæ ſatisfiat, quùm flagitioſorum aliquot ſupplicium non uſque adeò civili ſocietati conducat, ut innocentium periculo pernicieque redimi curarive neceſſe ſit.

Hoc tamen unico momento inducti Romani juris interpretes, nempe quòd atrociora flagitia plerùmque abſtru-

abstrusiora quùm sint, difficiliùs in lucem prodeant, à communi juris ordine recesserunt; ne scilicet inulta remanerent, si quibuscunque testibus non probarentur, sique talium seu spontanea seu tormentis extorta accusatio ad cujusvis capturā aut etiam torturam non urgeret. futilis sanè paruique admodum momenti ratio, quæ potiori illi officio detrahat quo insontium incolumitas nobis inprimis à Deo commendatur. Equidem non miror priores illos Romani juris interpretes his remediis reipublicæ suæ consuluisse, quum plerique omnes non ultra mortem cujusque animorum ævum admitterent, atq; adeò, quum qui ex eis Epicuro aut Academiæ placitis sesé addixerant, ne Deorum quidem suorum in humanis providentiam faterentur, quid ni plausibili temporibus suis timore quaterentur, ne si quid incautum inultumve reliquissent, perpetuæ Deorum incuriæ subjaceret, quum nec meritis præmium, nec peccatis ultio superesset. At Christianæ legis asseclas, quibus cœlitus persuasum est, nec interire animos, nec humanis rebus deesse perpetui vindicis vigilem providen-

tiam,

tiam, in judiciis publicis tam immania dogmata recepiſſe, ut noxiorum ſuppliciis inhiantes, inſontium ſalutem in tam dira tamque explorata diſcrimina projiciant, hoc demùm, meo judicio divinæ juſtitiæ providentiæque detrahit: Juſtitiæ, quia quùm ad Deum remittenda ſint quæ nobis juſtis rationibus innoteſcere nequeunt, eorum indaginem fallaci torturæ experimento proſequimur. Providentiæ, quum inſomnem ejus vigilantiam in compeſcendis flagitioſorum conatibus in dubium revocamus.

Cap. VII.

Expenditur legum Romanarum Collectorum probitas, Cæſarumq; etiam Chriſtianorum in ſanciendo jure diligentia.

Dices Chriſtianos Cæſares legibus ſemel eorum nomine ſancitis has procedendi formulas admiſiſſe, juriſque interpretes quibus uſi ſunt, frugi viros eximiéque cordatos extitiſſe. Quoad Cæſares reſpondeo, non hæc ſolùm divinæ legi naturalique æquitati diſſona legibus ſuis immiſcuiſſe; idque uno aut altero exemplo pronum

l. eorum. §. nullus verò. C. de Malef. & Mathem.

l. quisquis. §. filij verò. C. ad leg. Jul. majest.

num est convincere. Constantinus impunè licere voluit, carminibus frugum annonæque copiæ prospicere. Arcadius & Honorius jus sibi divinum arrogasse visi sunt, quum innocentes liberos patrum communi supplicio subjecerunt; Cæteri omnes, quamvis Christianis sacris initiati gladiatorum munus inhumanum exercuerunt, unde illud Prudentii ad Honorium Cæsarem.

In carmine contra Symmachum.

Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodq́ patris superest successor laudis habeto,
Ille Urbem vetuit taurorum sanguine tingi;
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari;
Nullus in urbe cadat cujus sit pœna voluptas;
Jam solis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Qui torturæ degenerique criminum exceptorum juri assuevére, nullatenus ambigent, Cæsares illos, quorum nomine leges illæ prodiére, gentilitatem non parùm redolere; unde

quum

quùm par ſit eorum majeſtati conſuli, miſeram errorum abuſuumque colluviem Romani juris collectoribus, quibus adminiſtris uſi ſunt, non poſſumus quin aſcribamus. Nempe boni Cæſares armorum exercitio ex integro addicti, de cætero legum juriumque curam præſumptis illis ſapientibus commiſerunt; quùmque doctrinæ legalis prærogativâ frugi audirent, dominis ſuis religionis etiam ſpeciem exhibuerunt. Nobis verò, quùm Diis avernalibus ſervierint, jure de Gentilitatis erroribus ſuſpecti ſunt. Satis conſtat Juſtinianum Cæſarem operâ Triboniani uſum in colligendis digerendiſque Romani juris voluminibus, viri nedùm idololatræ, ſed omni flagitio inquinati. Unde quùm Martino Delrio Tribonianus homo planè ſceleſtus ab omni pietate & verâ religione alienus audiat, quæſo cur mihi non liceat idem in Paulum, Ulpianum, Modeſtinum, Jabolenum cæteroſque eadem labe infectos Romani juris conditores ex æquo regerere, nempe homines malis Dæmonibus obnoxios, eorum cultui ſtuduiſſe, dum torturæ uſum, judiciorumque novos ac præpoſteros ordi-

Delrius Diſquiſ. lib. 6. ſect. 1. q. 2. Tribonian⁹ homo planè ſceleſtus, ab omni pietate

& vera re-ligione alie-nus.

Idem Aim. Rinall. hist. jur. civ. lib.4.

Hesychius Illustrius de Tribo-nianno. erat autem Paganus & impius.

nes in humani generis perniciem induxere. Quicquid illud ſit, certè Triboniano proclive fuit, ſi Suidæ, Laurentio Vallæ, Raphaelique Volaterrano credimus, bipedum nequiſſimo, ſub Principe, ut ajunt, analphabeto literarumq; omnium rudi quicquid libuerit in legum illam congeriem impunè obtrudere.

Quas, amabo, nænias non inducit legum ſaniorum tam deformata ſpecies? *Flagitium, quò ſecretius & atrocius, quoq; pœnam infamiamq; majorem exigit, eò leviori probatione indiget?* quaſi verò utrum facinus probarique difficilius leviore flagitio proniùs ac faciliùs innoteſcat. In cæteris judiciis inteſtabiles, quùm de criminibus exceptis agitur, fidem probitatemque recuperent? Affectus humani, vitioſi habitus, inita cum immundis geniis pacta, quibus nullatenùs conſtat an nuncium remiſerint, nùm in hiſce ſolum criminibus ab inteſtabilibus abſcedant? quòd ſi divinis humaniſque legibus in quibus criminum vindicta nobis edicitur, eorum probatio per teſtes fidedignos ſole meridiano clarior exigitur, cur fas ſit ab eorum ſancitis, ex ſolâ Gentilium auctorita-

c. litteras extr. de præſumpt. c. ubi periculum de elect. in 6. c quieſcamus. 42.

te recedere? Cur novos instruendi processus criminumque vestigandorum modos temerè comminiscamur, incertaq; scelera certo supplicio subdamus, eo solùm nomine, quòd difficiliùs probentur, clausisque aut caligantibus oculis in præcipitium ruamus, ubi major cura veritatis explorandæ nobis incumbit?

distinct. ut enim ait Gregorius X. in Concilio Lugdunensi. ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est pleniùs consulendum, cum circa majora majus periculum vertatur.

Tanti erroris originem, si lubet indagare, facile est deprehendere si Romanos mores, quo primùm tempore tormentis cùm in servos innocentes, tùm in ingenuos usi sunt, investigemus. Sanè Lucium Syllam, teterrimum illum patriæ libertatis eversorem, primùm in opprimendo cive quolibet ingenuo qui tyrannicis ejus conatibus obversaretur tormentis usum palam est. Nec minùs ex historia patet, eundem novas instruendi processus formas eversæ ab illo reipublicæ invexisse, postquam de majestate, quam sibi, ceu Domino, tribuerat, per tormenta quæri voluit, ut scilicet adeptam cæde proborum tyrannidem, admisso in quemlibet majestatis reum meretricum ac infamium testimonio tueretur. Nec sibi defuit Julius ille Cæsarum princeps,

Carol. Sigonius de antiq. jur. Rom. lib. 2. c. 29.

Tullius Philipp. 1.

tyrannidis Syllanianæ ſucceſſor, quin ejuſdem tituli prætextu, iiſdem quæſtionibus quæſitam potentiam ſtabiliret, quo ex fonte primùm juris collectorum miniſterio in leges manavere violenti illi legum abuſus; ſub hoc tamen diſcrimine, quod Julius duntaxat in exilium, correctâ Syllæ immanitate, ſub quo pœnæ omnes capitales fuerant, violenter confeſſos condemnaret.

Cicer. pro Rege Dejotaro, & in part. orat.

Sed neque ad Ciceronis uſque tempora licuit ſervos in dominorum capita torqueri, exceptis duntaxat inceſtus majeſtatiſque criminibus; tantùm abeſt ut ad ingenuæ ſortis homines immane illud diſcrimen extenderetur. En eximios privilegiati proceſſus inductores, quibus mancipiorum inſtar obtemperamus in vindicandâ etiam numinis æterni majeſtate.

Tacit. ann. 1.

His abuſibus ſemel inductis inhæſit Cæſar Octavianus; Nec Tiberio mens ſævitieſque defuere quin reductam majeſtatis legem ad quævis leviſſima ac pene ridicula porrigeret. Jam verò qùum tyrannicæ hæ novationes æquitati à natura humanis animis inſitæ jurique divino non reſpondeat;

deat, ut quî Christianorum Principum majestati, multoque magis æterno numini non simus injurii, si ad asserendam eorum potentiam seu mavis salutem privilegiis utamur stabiliendæ tyrannidi sæculis illis introductis, quibus omnis populo Senatuique Romano libertas perierat? quibus inquam, servitutis jugum omnes rationis ingenuæque indolis igniculos penitus extinxerat.

Sed quicquid animis nostris servitutis ingerat legibus Romanis insertus tyrannicæ sævitiæ genius, nulli omninò mortalium, cui (ut cum Poëta loquar)

Ex meliore luto finxit præcordia Titan.

nulli, inquam, cordato homini unquam probabis, ad probandum parricidium seu quod libet aliud atrocioris notæ facinus eam probationem sufficere, quæ probando homicidio leviorive crimini non sufficeret, idque ideò quod parricidium cœteraque gravia flagitia difficilius in lucem emergant. Hi tamen legum saniorum abusus semel in tyrannorum favorem inducti sub specioso asserendæ majestatis titulo, quæsitorum nostrorum incuriâ sensim & sine sensu in hæreseos quæ-

ſtiones irrepſere, ſub ſpecioſo læſæ majeſtatis prætextu; quumque mortales omnes implacabili in ſortilegium horrore teneantur, ad hujus flagitii quæſtionem majeſtatis humanæ privilegia porrecta ſunt, eò minori jure, quòd de cæteris criminibus quæ ſub ſenſum cadunt faciliùs liqueat, quùm tamen de ſortilegio, quatenùs ſortilegium, ut plurimùm diabolicis artibus involuto, quæ non ſenſum modò ſed captum hominis exuperent, reoque ac Judici ſæpiſſimè illudant, non niſi confeſſionibus de mendacio ſuſpectiſſimis, ſociorumve infamium ac inteſtabilium accuſationibus aut indiciis conſtare poſſit.

L. 8. ordo. ff. de publ. jud.

Non me fugit Paulum illum Romani juris interpretem dixiſſe ſemel, *ordinem exercendorum judiciorum capitalium Romæ exoleviſſe*, prioreſque illos rerum capitalium apud nos Quæſitores hanc novationem tanquam effatum aliquod vaticinantis Sibillæ mordicus arripuiſſe; ſed ſcimus etiam corruptam ſub Cæſaribus juſtitiæ legumque diſciplinam, ſub Chriſtianis Principibus juſtitiæ normam non exhibere. Exoleverit quantumlibet apud Romanos melioribus ſæculis aſſueta

assueta disciplina; non ideò perinde animis nostris exolevit innata nobiscum lex ac ratio naturalis æquitatis; quæ verò quondam divinitùs pro verificatione criminum inspiratæ sunt divino Legislatori formæ, cùm propriâ auctoritate à Deo derivatâ; tùm quòd æquitate naturali nitantur, vim jugem & inalterabilem adhuc obtinent. Harum vigore sancitum est, ut ne quis innocens occidatur, neve studio vestigandi puniendique nocentis, communi periculo innoxium implicemus. Hunc errorem divinus legum promulgator impietati æquiparavit, nec testem admitti voluit mendacii suspectum, nec in judiciis plurium nova sentientium suffragia, paucorum rectè sentientium suffragia, paucorum rectè sentientium suffragiis prævalere; quin imò prudentiorum Principum legibus sancitum est, *ne de proprio crimine confessum super conscientiâ scrutemur alienâ*, neve solis præsumptionibus quemquam damnemus; His tamen in sortilegii quæstionibus tam longè progressum est, ut spretis legum divinarum terminis, atrocioris flagitii prætextu, dubiis etiamnum indiciis ad tormenta deveniatur, hisque

Exod. 33,7. Matt.13,29 Exod. 23,1. & 2.

non suscipies vocem mendacij nec in judicio acquiesces plurium sententia.

l. repeti. §. is qui. ff. de qu. l.fin.C. de accusat. l.absentem. ff. de pœn.

que momentis præjudiciali judicio vimque diffinitivi ſortituro rei confeſſioni tam indubiæ exponuntur, quàm incerta eſt ejus veritas.

CAP. IIX.

An tutè credatur conſciis ejuſdem criminis de quo quæritur, quicquid ſtrepant humanæ leges.

OBjicias; niſi reprobatis aliunde teſtibus in hoc probando crimine fides adhibeatur, atrociora flagitia abſque vindicta remanſura, quum ex ſolis conſciis probari poſſint. Reſpondeo, me neutrum admittere. Sanè ſi mundus caſu agitur, excluſâ omni providentiâ, procul dubio impunitati locum fore annuo; ſed ſi qui mundo præſidet Deus, cuncta providet & prævidet, ut ex fide & rationis lumine ad evidentiam docemur, nullum impune nefas inſomni providoque vindici elabitur. quòd ſi, præſtitis quas officium noſtrum exigit diligentiis, ad normam divinæ legis, fide dignorum teſtium dictis criminum probationem integram non datur elicere, eorum vindicta divino judicio relinquenda eſt. Sanè inſcrutabili ejus

ejus providentiâ criminum nobis abstrusiorum veritas innotescet, si nobis cœlitùs datum est in eorum auctores animadvertere; Sin minus, eò nobis præbetur argumentum, Deum sibi vindictam seposuisse; quod si cui novum audaxque videbitur, me in Gentilium leges inventaque liberiùs inquirere, mirari desinet, quùm non cujusvis modò Judicis interesse comperiet, sed etiam Christianæ reipublicæ, quicquid à Gentilitate prodiit attentiùs scrutari, ut si quid divinæ legi naturæque juribus dissonum in jura nostra moresve gentili contagio invectum est, ad saniorem usum Principum Christianorum auctoritate reducatur.

Jam verò quid ambigimus ex divinæ legis effatis ab omni ignorantiæ labe nos asserere? Si tamen usque adeò mentibus nostris invaluit legum Romanarum præsumpta justitia, juvat auctoritati divinæ legis quâ sententiæ nostræ fulcitur imbecillitas, graviores addere calculos, quibus par illustre sanctiorum Christianæ pietatis luminum nobis in his sensibus præluxere. *Eorum vindicta* (inquit Divus Gregorius Pontifex) *divino* *c. cùm in lege. §. his itaq;. 23. qu. 4.*

 exa-

examini tantùm est reservanda, quando crimina etsi nobis nota sunt, tamen manifestis indiciis probari non possunt. Præstat enim (inquit in eandem sententiam Divus Augustinus) *quamdiu palea trituratur, ante tempus ventilationis, tolerare potius propter bonos commixtionem malorum, quàm violare propter malos charitatem bonorum*; quibus addo Stephani tertii Romani Pontificis collectam à Gratiano in hæc verba sententiam. *Quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum; spontaneâ enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, commissa sunt regimini nostro judicare; Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum.*

August. c. mira litter. Petiliani lib. 3. c. 3.

2. qu. 4. c. consuluisti.

Superiùs asseruimus Romanæ legis interpretetes, ut sortilegii quæstionibus majus pondus conciliarent, huic quæstioni titulum læsæ divinæ majestatis adscripsisse, adeoque illi majestatis humanæ privilegia communicasse; quumque in hujus criminis quæstione atrocioris torturæ usus jam inde à Romanis sæculis invaluerit, sortilegio etiam eadem privilegia communicari capitalium Quæsitoribus

bus placuit. Sed quùm majeſtatem humanam inter & divinam infinita ſit diſparitas, momentaque quibus innixi Romani juris interpretes à communi naturalique jure recedere auſi ſunt, toto cœlo à divinis juribus aliena ſint, ſupereſt ut videamus quid ſit læſæ majeſtatis crimen, & an Deum inter & hominem detur aliqua proportio quæ nos adigat ut pari cautelâ ſupremo increatoque rerum Domino ac humanæ Principum majeſtati conſulamus.

CAP. IX.

An privilegia Majeſtatis humanæ rite adaptentur divinæ majeſtati, quidque interſit inter utramq;.

MAjeſtatis crimen apud Romanos legis hujus auctores nihil aliud à principio fuit, quàm ſummæ poteſtatis diminutio, quæ fiebat perduellione, ſeditione concitatâ, vi hoſtili intentatâ ſive adjutâ, ambitâ vel uſurpatâ tyrannide, ſeu mavis ſupremo dominio. Sub Cæſaribus potuit & illud adjici quod hodie primum caput nuncupant, id eſt, in caput Principis conjuratio. Atqui quùm humana pote-

Cicer. de Orat. 2.

pote-

poteſtas quæ majeſtati ſynonimum eſt, in homine mortali reſideat, aut ſanè in præfinito hominum Concilio ſive Senatu, quorum poteſtas & ſalus interitui ſubjacent, hinc neceſſe fuit humanæ curæ horum incolumitati remediis extra communem legem quæſitis proſpicere; Scilicet ut in Principem aut Rempublicam conjurantium ſupplicio, ſecuritati publicæ conſuleretur.

Hoc unico momento tot à jure communi novitatibus eſt receſſum, quæ etſi tunc temporis ipsâ novitate atque inſolentiâ percellebant animos, longè tamen aberant à diſcrimine periculiſque, quibus innocentium ſalus in ſortilegii quæſtionibus objicitur; nullus enim majeſtatis judiciis niſi per accuſationem patebat aditus, adeò ut ratione teneretur quiſquis accuſato crimen impoſitum non probaviſſet; Sed hodie Syllanianâ ſeveritate, explosâ talionis pœnâ, cujus timore teſtes & accuſator plerumque à calumniâ deterrebantur, cuique infami ſortilego, facinoris ejuſdem ſocio facultas conceſſa eſt, ut ſecreto teſtimonio cuivis innocenti negotium impune faceſſat, vitam, honorem, bona in

l. ſi quis. 3. C. ad leg. Jul. majeſt.

in diſcrimen vocet, denique, ut verbo dicam, cautelæ omnes quibus innoxiorum ſaluti conſulebatur antea, exulare prorſus hic ab judiciis juſſæ ſunt, liberque calumniæ patefactus eſt aditus.

Sic nempe Tyrannis illis Romanæ libertatis everſoribus pro libito viſum eſt togata mancipia privilegiis immanibus ſubjicere; ſed etſi Principum mortalium ſalus quibuſlibet cautelis indigeat, nullâ tamen hominum curâ divini numinis majeſtas ab omni vitæ, læſionis aut diſpendii periculo ſecura omninoque impaſſibilis, nedum vindicari, ſed ne ſervari quidem indiget. Nulli mortalium injuriæ patet ille ſumus naturæ moderator & Dominus. Quoſvis enim humanæ proterviæ conatus ridet, & deſpicit, ſuapte naturâ extra omnem periculi aleam poſitus; Nec cultu noſtro augetur Majeſtas ejus infinita, nec irreligione deſpectuque diminuitur; Itaque quibus remediis humanæ potentiæ conſulitur, divinæ nec incrementum nec ſalus conciliatur. Inſurgat quantumvis in auctorem mortalis audacia; ſuis ipſa conatibus perniciem ſibi ſolæ molitur. In hominem temerarius

aufus ex integro recidit; nec quicquam honoris, poteftatis aut gloriæ inalterabili majeftati deperit aut decrefcit. Quid igitur innocentium periculis majeftatis inacceffæ tutamen aut vindictam fupervacaneè molimur, quùm nulli mortalium patent injuriæ? quod attinet, humanæ majeftatis incolumitatem ex legum divinarum præfcripto vindicemus & afferamus. Inquiramus quibus licet mediis in divini numinis contemptores, fic affatim divinæ legis juftitiæque officio debitum rependemus.

In nonnullis Europæ ditionibus quæ fancto Inquifitionis tribunali non fubjacent, capitalium Judices fortilegium à maleficio dividunt, quæ plerumque nomina alibi perperam confunduntur. Hæc diftinctio eadem eft quàm quæ genus à fpecie diftinguit. Deo quidem judicium relinquunt actuum fecretiorum, in quibus à malis geniis fæpiffime fatuitati humanæ illuditur; horum, inquam, actuum qui communes hominum notiones exuperant. Cautè incedunt in admittendis fociorum criminis indiciis, nec confeffioni quam tormentorum damnata toties mendacii vox extor-

fit,

ſit, fidem adhibent; ſed faciliori veneficii aut homicidii, quæ ſenſibus humanis percipiuntur probationi incumbunt; Ad hanc normam ferè omnes Galliarum Curiæ maleficii quæſtionem redigunt. In hoc autem caſu quæſtio ſolis illis periculis ſubjacet quæ privilegiatos proceſſus reſpiciunt: ſed in ſortilegii, quatenùs ſortilegium, quæſtionibus, quùm undique Cacodæmonum præſtigiis pateat locus, in actibus præſertim qui raró ſenſibus teſtium fide dignorum ſubjacent, quùm ipſi etiam Rei fallaci rerum inanium ſpecie decipiantur, torturæ uſus nunquam à Judicum reorumque ſalutis animæque periculo immunis eſt.

Sanè humano ingenio inſevit nativa imbecillitas, ut Deum ex ſortis ſuæ menſura metiatur; nec ſemel hoc exemplo uſæ ſunt humanæ leges ut ab æquitate deſciſcerent. Non eſt noſtrum criminum ſecretiorum vindictam tanto ardore tantoque diſcrimine proſequi. Quùm ſemel juſto judici viſum fuerit, ea in lucem proferet, pœnæque, citra noxam innocentium ſubjiciet. In judiciis rerum capitalium illud præcipuè quæritur, ut flagi-

flagitiosus quispiam profligatæ nequitiæ testibus integris convictus, legum rigori à Deo criminis evidentiâ traditus, tanquam victima cæteris in exemplum exposita, capite luat. Cæterum si de crimine patrato reove peracto non satis constiterit, ne innocens de salute suâ sub tormentorum rabie periclitetur, quidni Romanorum utamur mediâ sententiâ, etiamnum hodie Veneto Senatui consuetâ, *non liquere de re quæsitâ*, reumque intereà, donec ampliùs liqueat carceribus emittamus.

Donato Gianotto è Gasparo Contarini, né Commentarij della Repub. Veneta.

Diximus aliquoties Romanos Cæsares idem sibi juris in homines tribuisse, quòd Deo immortali competat. Hoc Arcadius & Honorius præsumere non sunt veriti, quùm innocentes liberos parentum flagitiis contra præscriptum divinæ legis implicuere. Enim verò soli Deo competit ex summo jure dominii in omnes animas ipsâ creatione quæsiti, noxiorum pœnas ad innocentes extendere. Gregorius, Augustinus, Hieronymus, Urbanus secundus, cæterique omnes Doctores & Pontifices religionis nostræ primarii interpretes, parentum vitia in posteris eatenus solum à Deo

l. quisquis. § filij verò. C. ad leg. Jul. majest.

&ab

& ab Ecclesiâ requiri testantur, quatenus filii parentum imitatores extiterint; adeò ut eò res redeat, ut ex proprio crimine quisque, non ex paterno aut avito puniatur. Ut enim cæteri Cæsares æquiori jure sanxerunt, nec patrem pro filio, nec filium pro patre ex contractu posse conveniri, ita nec ex delicto sanxere Dei & Principum humaniorum leges neminem patris iniquitatem luiturum. Nihil enim mortali Principi in subditorum vitam honoremque juris est, nisi proprio flagitio rei pœnæ effecti, capitali sese judicio implicuerint; utque Arcadius & Honorius in pœnis majestatis extendendis iniquè se Deo æquare præsumpserunt, ita Romani juris novæ leges, non sine divinæ potentiæ vilipendio, majestatem divinam ad humanæ mortalisque privilegia detrusére. *Deuter.24, 16. Reg.14,6. Paralipom. 25,4. Ezech.18, 20.*

Resipuére tamen illi Cæsares, pleniùs explorato majestatis humanæ jure, injustamque legem suppressis quæ barbariem tyrannidemque redolebant, ad divinæ legis amussim reformarunt; quid enim à veritate abhorrentiùs, quàm ex solâ criminum in posteris possibilitate, seu ex tyran- *l. sancimus. C. de pœn.*

norum metu, de innocentium vitâ ſuturiſque actibus ſtatuere? quid Chriſtianæ manſuetudini repugnantius, quàm ſolâ ſuſpicione ſontes peragere, qui nondum deliquerint, flagitiaque terrenis facultatibus æquiparare, quæ in liberos & hæredes neceſſariò tranſmittuntur? Satis conſtat legem in liberis parentum crimina repetentem ſub Attico Cæſarioque Conſulibus prodiiſſe; quæ ſi ad Chriſtianam Epochem revocemus, annum nobis trecenteſimum nonageſimum nonum efficient, atque adeò lex *Sancimus* quæ liberorum innocentium indemnitati conſulit, biennio ferè priori recentior eſt, utpote quæ ſub Eutropii Theodorique conſulatu lata ſit.

Dixi legem illam, in liberos iniquam, barbariem tyrannidemque redolere; quid evidentius? quum à Syllanianâ proſcriptione ortum repetat, quâ proſcriptorum liberi à Magiſtratibus petendis excluſi ſunt. Hanc barbaricæ immanitatis notam à Perſis procul dubio tyrannorum atrociſſimus accerſierat, quâ conjuratorum proximus quiſque ad conſanguinei ſupplicium vocabatur. Curtius & Juſtinus de Perſis, & Macedonibus anti-

Q. Curt. hiſt. lib. 8. Juſtin. lib. 27. ſub fin.

antiquis hanc nobis truculentiam asserunt; sed ut Ammiano Marcellino, Græco Gentilique homini, Batavoque Grossio visum est, nihil ab humano ingenio inhumanius injustiusque unquam prodiit; quid enim metu illo, cui soli legis immanitas nititur, inverisimilius? quùm ex pessimis parentibus optimi quotidie liberi nepotesque prodeant; quapropter Alexander ille Macedo, utriusque gentis tandem Dominus, ab utraque barbaram diabolicæ immanitatis notam pro potestate eluit, nunquam, Curtio teste, exercitâ, nedum abolitâ tandem crudeli lege. *Nescio* (inquit Hollandus ille Grossius) *quis Christiano Imperatori Arcadio ausus est hoc dictare: debuisse paterno perire supplicio in quibus paterni criminis exempla metuuntur. Lege Persarum & Macedonum quâ propinqui reo crimine læsæ majestatis perire unâ jubebantur, nihil immanius inventum inter homines, cujus rei diritate exuperari leges omnes scripsit Ammianus Marcellinus.* Hanc tamen Arcadii & Honorii tam diram legem, quamvis lex posterior iisdem auctoribus lata, si non expressè, posteriora enim derogant prioribus, saltem comprehensivè, utpote quæ sen-

Grosß. de jur. pac. & bell.

ſu generali concepta ſit, revocaverit, in illâ tamen Codicibus Juſtiniani ſui inſerendâ, ut in cæteris ſibi Tribonianus non temperavit, quùm enim poſterius illud ex illâ membrum reſecare, tanquam correctum, debuiſſet, integram nobis obtrudit, ſpretis aut non agnitis quibus ex diametro repugnat lege divinâ æquitateque naturali; quid mirum ſi tali legum Paganorum collectore, tot nobis Gentilium fœdiſſimi errores irrepſerint, atque etiamnum paſſim cordato cuique fiant obvii; ut jure nobis timere liceat ne Juris-Conſultorum pleriſque religio ſit, ſoli meridiano de diurnâ luce credere, niſi idipſum ſumptis ex Romano jure præciſis verbis, ex legum doctoribus probatum acceperint.

Sed, amabo, unde aviditas illa ſuppliciorum in ſacerdotibus torturam & cruciatus inculcantibus? quonam abiit manſuetudo illa pietaſque incruenta ſacerdotii? ſi tyrannorum Gentiliumque veſtigiis inhærendum eſt, debuitne profanum ac periculoſum munus candorem ſacri ordinis illibatum deturpare? quò toties à ſacris legibus Conciliiſque intentatæ

irre-

irregularitatis minæ? satisne se illis eximit qui, sacris initiatus, de re capitali inquirens, crimen tormentis investigat, suffragio suo admissum definit, *sæcularibus* (ut ajunt) Judicibus reum convictum mendaci torturæ examine ad supplicium remittit? Siccine vigilantibus excidit illud tritum juris effatum, *qui per alium facit, per seipsum fecisse reputari*? Nonne tortura judicium fulcit & operatur? nonne torturæ præjudicio, reo tormentis tradito lethale vulnus infligitur, quo plerumque reorum innocentia perimitur? quid intereſt ad mortem aut ad torturam damnet, quùm ex inter loquutoriâ illâ (ut ajunt) sententiâ, torto cuilibet innocenti necessariâ consequentiâ capitale judicium subsequatur? quid quod & formandi processus rerum capitalium modi nobis præscribuntur, damnantis ad cruciatus sententiæ formulæ typis ad exemplum nobis exarantur, Pluries tortos jubemur repetere, donec quæsiti criminis confessionem omnimodam expresserimus? quòd si malè nobis audiat illa vox *torturæ repetitio*, suaviore vocabulo rem teterrimam condiamus, torturamque per plures dies

Mall. Malef. part. 2. qu. 15.

continuare præcipimur. Quid tetrius? quid immanius Nero Claudius, Herodesve Idumæus ad extorquendam omnimodam confessionem commenti sunt?

Adam. Tãner. de just. & jur. disp. 4. qu. 5. dub. 4. & 5. Cautio crimin. per totam. Delri⁹ Disquis. mag. Binsfeld. & passim omnes.

Nihil hic de tot tantisque torturæ abusibus quibus Christianus orbis passim vexatur ex me ingero; Prostant totâ Germaniâ venales libri quibus à doctissimis ac prudentissimis religiosi instituti sectatoribus de tragœdiis illis ad dolorem usque miserationemque doceamur. Quis tam divus Procustes aut Phalaris qui siccis oculis legat immanitatem cruciatuum quibus, specie quærendi sortilegii totâ Germaniâ sævitur? Huic carnificinæ prætexitur divinæ legis illud edictum, quo sortilegos morti tradere jussi sumus. At ecquis is est qui legitimè convictos vivere patiatur? Sed in cujusque inquisiti perniciem temerario zelo, mendaci torturæ confessione, undique irruitur, nec vacat audire ibidem præcipientem Deum, ut *ne mendacij vocem in testimonium adhibeamus.* Quid autem aliud *mendacij voce* nobis innuitur, nisi criminis ejusdem complices, sortilegi, infames, inimici, intestabiles? Scilicet promiscuâ dela-

Exod. 22. Deuter. 18. Levit. 19. & 20. Exod. 23, 1, & 2.

delatorum ſortilegii ſtrage zelum divinæ legis affectant, dum interim innocentium ſalutis immemores, perniciosum inquirendi modum potiore ſtudio non abolent. Sortilegorum denique impunitate Satanæ regnum ſtabiliri inquiunt; ſed præpoſtero ſtudio cœcutientes, interim non advertunt, Dæmonum tyrannidem non aliàs potentiùs reſurgere, quàm ex innocentum iniquis ſuppliciis quibus paſſim tartareis illis geniis litatur.

Sanè quicquid theorici illi Doctores in ocio & receſſu comminiſcuntur, juſtitiæ ſpeculativæ reſpondet ad amuſſim, ſed actu exercitum non idem ſortitur judicium; nec vereor dicere malis geniis nullatenus uberiorem artem ad perniciem hominum ſuppetere, quàm ex torturæ abuſu in ſortilegii Quæſtionibus; ſufficit enim ut popellum in anum edentulam ac ævo deformem ſuſpicionibus excitent, ut illicò torturæ miſella ſubjiciatur, &, ſi Binsfeldio, Lancellotto, Marſilio, Bartholo, innumeriſque aliis credimus, capitali etiam ſupplicio damnetur, ex ſolo publici rumoris indicio. Idem faciliùs conſequentur Dæmones, ſi ad ſimilitudinem inno-

Binsfeld. membro. 2. Dub. an dictum mandatarij ſolum &c. Valent. tom. 3. diſp. 6. qu. 13.

centis viri aut mulieris corpus aëreum ſive phantaſma induant in nocturnis illis orgiis, aut ſomnianti ſtrygi, molis phantaſiæ ſpeciebus illudant, ut pronum eſſe Cacodæmoni mille experimentis conſtitit. Nec mora, quamprimùm torturæ metus aut ipſa tortura ingruat, ſtryx illa fatebitur quoſcumque volueris, ubivis locorum, & ſi lubet, ipſo in antro Trophonii, Plutonis Proſerpinæque penetralibus oculis uſurpaſſe; ſed quid ad hæc ſtrygibus indigemus? Idem de ſe quivis religioſus fatebitur ſimul illum tormentis admoveris; hacque potiſſimùm de causâ recentiores omnes theologi unanimiter ſentiunt, poſſe innocentem, citra animæ diſpendium, falsâ confeſſione mortem ſibi in cruciatus ſolatium aſciſcere.

Leſſ. de juſt. & jur. c. 11. dub. 7. n. 41 Angel. verb. detractio. n. 6. Sylv. eod q. 3. Sot. eod. lib. 5. q. 1. Navarr. de reſt. lib. 2. c. 4. n. 134.

Ulteriùs urgebis, quæſtiones has à ſanctâ ſede religioſis viris committi; fateor, ſed ab eadem ſede non manant quibus plerumque peccatur abuſus. Quin imò ſæpiùs in Quæſitores inquiritur, acta reſcinduntur, errores emendantur. Qui quæſtionibus ſortilegii favent, unum prætendunt auctoritatis Pontificiæ ſuffugium. Illam equidem non impugnamus,

gnamus,

gnamus, dummodò ne ſtatutis excedant limitibus; neve ad ſolas divinationes aliaque ſuperſtitionum genera ſe porrigant quæ cùm hæreſi non conveniunt; ab his enim inveſtigandis ſedis ejuſdem auctoritate prohibentur; Aſſerunt probos & pios viros huic miniſterio intervenire; nec repugnamus, taleſque optamus ex animo, ſolumque id regerimus, præpoſterum ſtudium in eadem ſæpe mala prolabi, quàm quæ irreligio ignorantiaque humanis animis ſuggerunt. Dicunt, poſſibilia eſſe quæcumque torti de ſortilegio ſeu feciſſe ſeu vidiſſe ſolent fateri, etſi plerumque naturæ vires humanumque captum exuperent; nos verò argumentum (ut ſcola loquitur) *de poſſe ad eſſe* in proba Logica nihil probare reſpondemus. An actu vera ſint illa de quibus agitur, quæſtio eſt, non utrùm malis geniis aut naturâ aut ſupra naturam ſint poſſibilia. Dico autem confeſſionem cruciatibus expreſſam dolorem patientis arguere, veritatem criminis non arguere. Rurſus inferunt, has confeſſiones ſæpenumerò ſponte fieri, quòd ante torturam, aut etiam abſque tortura prodierint; ſed reticent, illas ad aſpectum crude-

c. accuſatus de hæret. in 6. §. ſanè.

lis carnificinæ apparatuum ipſo terrore extortas, nec rarò mulierculas illas prima tormenta delibaſſe antequam fateantur, quæ torturæ fautoribus ideò pro nihilo reputantur, quòd ad extrema ventum non eſt. Ajunt ſibi ſolis datum quæ ſupra naturam ſunt ſecuro ac irretorto lumine perſcrutari. Juriſprudentum autem aciem cæterorumque hominum qui ex eorum diſciplina non prodierint ad talium aſpectum cœcutire. Nos certè, etſi de nobis nil præſumimus, remur tamen & aſſerimus, omnem hominem præſtanti ingenio probiſque corporis organis temperieque præditum, cui longo ſtudio multoque rerum uſu mundum rimari contigerit, omnium artium ſcientiarumque principia poſſe comprehendere, eaque non ſolum noſſe, ſed iis ratiocinando uti, etſi aſſuetis ludo ſeu ſcholæ verbis factitiis & neothericis non utatur, pluraque inſuper noſſe, quàm quæ theoricis noſſe rimarique aut actu probaſſe contigerit.

Barth. Spineus Apolog. 1. in Ponzinib. c. 3.

Scimus Deum dixiſſe *maleficos non patieris vivere*, atque alibi, noluiſſe cum Magis & Ariolis iniri commercium, ſub comminatione mortis contraria facientibus; ſed ſcimus etiam Deum nulli

Exod. 22, 18 Levit. 20, 6.

nulli hominum præcepisse ut ad probandum sortilegium seu quodvis aliud atrox flagitium ad cruciatus deveniat. Illâ ipsâ lege omnis puella quæ innupta, pudorem virginalem contaminasset lapidibus ad mortem obruebatur. eâdem pœnâ tenebatur omnis filius patri non obtemperans; Quòd, si legum illarum vigor etiamnum integer in judiciis nostris vigeret, quo loco res humana foret perpendendum cuique relinquimus; Adeò nulla proportio est inter Mosaicæ legis circa judicia severitatem & Christianæ mansuetudinem. Omne illud Hebræorum jus, quod legem vocant, Exodo, Levitico, Numeris & Deuteronomio contentum, capitalibus plerumq; constabat pœnis; unde merito jure cruenta lex, sicut & illæ Draconis Atheniensibus positæ leges potuit appellari. Hinc magnus ille gentium doctor de utraque lege ad Romanos verba faciens; *non enim* (inquit) *accepistis spiritum servitutis iterùm in timore*; *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater*; expressè innuens expunctam ab Evangelica mansuetudine antiquam Mosaicæ legis severitatem Christianosque

Deuter.22,20.

Levit.21,9.

Paul. ad Rom.8,15.

nosque in libertatem assertos, ad discrimen Hebræorum, quibus tanquàm servis, instar Romanorum, lex illa capitalis & cruenta data fuerat.

Quisquis tamen fuerit legis illius Judaicæ rigor, ne in levissimis quidem maleficiis exorabilis, adeò ut in adulterii quæstione Deus in purgationem Zelotypiæ tentaretur per haustum aquæ maledictæ; & ad detegendum furtum cui probando testes deessent, divisoriæ sortis discrimini se committerent, nunquam ad tormenta deventum est, quibus ex ore rei criminis confessionem eruerent; Omnis enim probatio per testes duos aut tres fidedignos aut facti notorietate constabat; testis autem unius, quicquid peccati aut facinoris quæreretur, nedum indicium nec probationem, ut ajunt, semiplenam faciebat; quin imò nullius momenti reputabatur; quodque notatu dignum est, prohibitio hæc, ne testimonio quantumvis conspicuo fides adhibeatur, ad omne genus criminum quantumvis atrocium porrigitur, nullamque criminum ab Ethnicis auctoribus exceptorum, seu, ut vocant, privilegiatorum exceptionem admittit, adeò legumlatori illi san-

Num. 5, 13.
Josua. 7.

Deuter. 19, 15.
In ore duorum vel trium stabit omne verbum ibid. 6. non stabit unus testis contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit.

ſanctiſſimo antiquum fuit innocentis iniquæ ſorti incerti judicii non objicere. Hoc apertiùs patet ex eo, quòd deficiente probatione Levitas & ſummum ſacerdotem jubet conſuli. Idem & in crimine falſi præcipit, nec unquam à Deo criminum probationem à tormentis repeti juſſum aut permiſſum invenietur. Quin imo lege illâ Moſaicâ à Deo populo ſuo promulgatâ, ſancitum eſt, quo denique genere probationis in quælibet flagitia inquireretur; Idemque in lege Evangelica Chriſti ſervatoris oraculo confirmavit, iiſdem fermè verbis, quibus vetus illa lex uſa fuerat, probationem, inquam, per teſtes fidedignos faciendam.

ibid. c. 17. n. 8. & 9.

Deuter. 19, 16. & 17. Matth. 18, 16. Joan. 8, 17. Paul. 2. ad Corinth. 13, 1.

Objiciet fortaſſe quiſpiam argumentum hoc noſtrum ex legis divinæ ſancitis erutum, eſſe duntaxat negativum; ſed pronum eſt objectioni ſatisfacere, ſi gravitate quâ par eſt perpendatur, argumentum hoc negativum à divinis effatis ex ipsâ materiâ de quâ agitur petitum quælibet hominum inventa juri divino æquitatique naturali pugnantia facile ſuperare; quùm enim providus ille rerum conditor & moderator nihil futuro-

rum totis ſæculis circa criminum probationem difficillimam non prævideri, confidenter inferendum eſt, quicquid divina providentia in expreſſis de criminum probatione legibus non dixerit, non ex re humani generis fuiſſe; non enim omiſiſſet, torturæ ſubſidium, ſi quicquam ad eruendam veritatem duxiſſet conducere; quùm autem ſpecificè & expreſsè in hac ipſa re ſtatuens, convictionem per teſtes idoneos pro omni probationis modo & ſpecie admiſerit, torturamque ſilentio præterierit, quid clarius ex legum Romanarum principiis uſu receptis, *quam incluſionem unius, excluſionem eſſe alterius?* Ut enim Divo Auguſtino viſum eſt expreſsè definire, *quùm quid à legiſlatore ſancitum eſt, in quo nonnihil eſt ſilentio præteritum, inde probatio certa deducitur, quamvis negativa illud ex mente nomothetæ fuiſſe de induſtria præteritum, tanquam rei de qua ſancitur non conveniens.* Quid igitur Romanis aut cujuſvis gentis legibus officimus, ſi divinæ legis effata præ illis exiſtimamus? neque adeò quemquam jure mihi ſuccenſurum ſuſpicor, quòd Chriſtum legem æternam viventem, Moſemque divinæ veri-
tatis

tatis organum quibuſcumque tortu-ræ novorumque jurium invectoribus præhabuerim.

Præcipuum torturæ deploratique Capitalium proceſſuum rigoris fundamentum in eo potiſſimùm nititur, quòd ſi quis de ſortilegii crimine ſemel delatus, impunis evaſerit, genus hominum univerſum calamitatibus obruet; ſed ut timori locus ſit, primum omnium requiritur ut ſortilegii convincatur; atqui jura omnia naturaliſque ratio pro innocentia ſunt, quamdiu de crimine non conſtiterit. Sed nec rumore vulgi, nec præſumptionibus, nec teſtimonio unius quantumvis integri teſtis, nec complicis vi tormentorum ad ſe aut alios prodendum adacti, de crimine conſtare divino humanove jure poteſt; non igitur certo & indubitato periculo exponendi ſunt, experimento, inquam, torturæ, mortem enim unicam & promptam procul dubio in remedium advocabunt, ut ope mendacis confeſſionis mille ſe cruciatibus eximant quavis morte durioribus; Atqui ſi auctore Paulo Apoſtolo, communique Theologorum ſententiâ, *non ſunt mala facienda, ut*

Delri9 Diſquiſ. lib. 5. appendic. 2. qu. 1. concl. 1. Tann. de juſt. & jur. diſp. 4. q. 5. dub. 2. n. 24. Proſp. Farinac. prax. crim. lib. 1. tit. 5. qu. 43. n. 76 Gloſſ. in l. fin. C. de accuſ. verbo conſcientia, & l. 1. §. idem Cornelio. ff. de quæſt. Conſtit. Caroli V. Cæſar. 5. Paul. Rom. 3. 8.

ut eveniant bona, ut quid liceat innocentum aut ſaltem rei non rite peracti ſupplicio ſecuritatem publicam redimere? quis verò à ſuppliciis immunis, ſi flagitiorum poſſibilium metu liceat quemque accuſatum necdum convictum tormentis morte dirioribus ad confeſſionem adigere.

CAP. X.

Iterum expenduntur verba Romanæ legis, ſuper fide torturæ adhibenda quovis tempore.

EXpendamus iterùm verba primæ illius legis de Quæſtionibus, ut de contradictorio ejuſdem ſenſu exploratiùs liqueat. Sanè non ſolum ſibimetipſi in indaganda veritate repugnat, ſed rectæ naturalique rationi ex diametro rebellat. *Non eſſe à tormentis incipiendum Divus Auguſtus conſtituit, neq; adeò fidem quæſtioni adhibendam.* Jam verò, quæro ab Ulpiano ejuſque noſtratibus aſſeclis, quandoquidem Auguſti, Ulpiani cæterorumque Romani juris interpretum conſenſu probatum eſt, quæſtioni fidem non adhibendam, quid amplius fidei adhibeat fallaci teſtimonio in progreſſu ſive in fine

fine processus, quàm in ipso limine ipsi adhibuerint? Aberuntne potiùs à fine vel à medio capitalis illius quæstionis fatalia momenta quibus reus, sive nocens, sive innocens ad mendacium, seu negatione veri, seu falsi confessione compellatur? Sanè quicumque aut vitæ cupidus, aut cruciatus impatiens in tormentis mentitur, mentitur autem omne genus hominum, nonne toto illo processu iisdem mentiendi causis affectibusque tenebitur? At quum semper eædem mentiendi causæ subsistant, quis neget eosdem semper effectus operaturas?

At (inquiunt Romani juris interpretes) ideò torturæ non fidimus. Scimus enim plerosque in tormentis ementitos in sese & in alios; quòd si tortoribus illis regeras; quid igitur fallaci experimento tamdiu utimini, quum vos ad opprimendos innocentes adigat? referet Ulpianus ejusque sectatores, non à tormentis quæstionem exordimur, sed præviis indiciis aut teste integro, ita demùm ad cruciatus subsidium descendimus, quùm sola rei confessio ad plenam criminis probationem deesse videatur. Hoc unico effugio sese tuentur jurium in- *l. 1. §. quæstioni. ff. de quæst.*

G ter-

terpretes & Theologi ferè omnes qui torturæ suffragantur; Scrutemur igitur quid inde solidæ rationis elucescat. Si de crimine adeò liquet, ut sola rei confessio deesse videatur, cur ad damnationem non descenditur, quùm rei legitimè convicti confessio de jure non modò non requiratur, sed tormentis exprimi expresse legibus prohibeatur? Aut igitur indicia, præsumptiones, testimonia quibus urgetur reus de crimine Judici plenam fidem faciunt, aut amplius ambigendi locus superest. Si primum, cur ad judicium non sufficiunt? Si secundum, cur ad imperfectæ probationis subsidium, mendaci supplemento utimini? Cur probationes illas imperfectas, cur indicia, cur testis illius singularis nutantem fidem felici temperamento seu procuratæ pharmacis reticentiæ refellenda committitis. Reus, seu nocens sive innocens, tot inter immanes cruciatus, nonne iisdem semper verum tacendi aut falsum confitendi momentis urgebitur, quùm menti perpetua illa species obversetur, se ideò tantis doloribus excruciari, ut ex ore proprio sive mortis adeundæ seu finiendi cruciatus sententia prodeat? Ut

Less. de just. & jur. lib. 2. c. 29. Dub. 17. n. 152. Tanner. eod. tit. disp. 4. qu. 5. Constit. Caroli V. specialiter in hoc crimine sortil. art. 69. n. 8. Navarr. c. 18. Dub. 17. n. 59. Greg. Tholosan. Sintagm. lib. 28. c. 48. n. 18. & 19.

Ut ingenuè verum fatear, subiit mirari centies tot Pontifices & Consessus Oecumenicos quorum decretis purgationibus vulgaribus, ceu superstitiosis & periculosis est interdictum, curas hactenus ad tragicos torturæ effectus non intendisse. Certè aut nunquam fefellit nec periculo caruit temeraria illa per ignem & aquam ferventem purgatio, aut torturæ fallaciâ pleræque omnes facilè superantur. Nempe in illis Deus super re per testes improbabili consulebatur, atque adeò quandoque innocenti subveniebat, quùm ex Judicis sententia aut adversarii urgentis pertinacia, non propria temeritate adigeretur. Sed in torturæ fallaci experimento Deus temerario ausu ad miraculi necessitatem compellitur; scilicet ut irrito cruciatu vires humanas exuperanti silentio sibi consulat, affectusque timoris aut doloris invincibiles impossibili patientiâ tortus innocens superet. Scilicet veritas in *voce mendacij* quæritur, atque adeò innocentium salus, honor, facultates omnes certo discrimini subjiciuntur, non alio momento, quàm spe dubiâ reum incompertum deprehendendi.

c. ex tuorum. extr. de purg. can.

Sanè rerum capitalium juriſconſultis convenit, torturam eſſe purgationem vulgarem. Nihil inter illos illâ loquendi formulâ frequentius, *Torturâ purgari indicia*; ſed purgatio illa ideò ſuperis hominibuſque intolerabilior eſt, quòd ſi reus vero flagitio tenetur, purgatione illa innocentior quàm antea fuerit reputatur; Si verò innocens eſt, illum ad alieni flagitii pœnam adigit, graviori ſupplicio quàm ſi utraque manu truncaretur. Nunquid igitur utrimque Deus ad miraculoſos effectus temerè compellitur, aut impoſſibili convictione rei tormentis aſſueti, aut Narcoticis medicaminibus, aut arte diabolica indurati, aut manifeſta oppreſſione innocentis tantis cruciatibus imparis?

Procul dubio ſi malus ille genius germanâ duntaxat flagitiorum ſpecie humanis mentibus irreperet, rariore ſucceſſu in perniciem hominum graſſaretur. Nempe per ſpecioſas illecebras, fucatâ rerum tetriorũ facie mentibus noſtris inſidiatur; ac primùm quidem ſacris Codicibus abutitur, ut religionis fuco, cujuſvis de ſortilegio ſuſpecti perniciem nobis inſpiret. Ab humanis legibus porrectum ad quæque

que devia mutuatur exceſſum, cæcoque Romani juris ſtudio pleroſque legum interpretes adeò tranſverſos agit, ut more Pithagorico, in magiſtrorum verba adacti, quæ ſemel animis præſumpſerint, ut divinæ legis effata per extrema quæque præcipiti cæcoque ardore proſequantur. Quis adeò fatuus rerum capitalium Quæſitor, ut innocentem pro innocente agnitum Diabolo auctore neci addicat? Sed ſimul vecordem animum præpoſtero divinæ majeſtatis ſtudio implevit; quâ in re, etſi ſeverâ, tardâ tamen vindictâ perennis ille rerum arbiter cum hominibus utitur; tum demùm ſpecioſo Romanorum jurium lenocinio incautis ingeniis ſuggerit, cæcâ obſervantiâ præſcripto illarum inhærendum, Syllæque, triumviratus Auguſtani, tyrannidiſque Cæſarum privilegia in ſaniorum legum vicem ſurrogat, teſtem omnem quantumvis infamem & ſceleſtum; criminis ejuſdem complices, confeſſionem mendacem vi cruciatuum invito & innocenti extortam pro comperta legibus veritate rudibus aut religionis & juſtitiæ immodicis Judicibus obtrudit.

Hinc tanta tot Quæſitorum ſortilegii immanitas præpoſtero pietatis ſpurioque ſtudio ſeducta anomalas illas legum meliorum exceptiones ad diriores exceſſus orſa eſt extendere, rumores plebejos probationum loco captare; illis tanquam indiciis ad torturam (ut ajunt) urgentibus moveri, humanas leges legumque abuſus divinis legibus anteferre, crudeliorumque opiniones, ſolidiore doctiorum ſententiâ, naturalique æquitate poſthabitis, licentiùs ſectari. Ita auctores *Mallei* quem vocant *Maleficorum*, Bodinus, Binsfeldius & innumeri, *vocem publicam indicium reputant ad torturam ſufficiens, multoq; fortius ad capturam*, id eſt, ut quiſque ſiniſtræ apud multitudinem famæ, ad carceres publicos illicò redigatur, quùm è contra ſaniorum calculo liqueat, famam ſeu vocem publicam eſſe indicium fallax & remotum, quùm vice accuſatoris habeatur, atque adeò nihil probet, nec in criminalibus in teſtem admittatur; quòd ſi ad torturam his auctoribus urget indicium publicæ vocis, ad damnationem mortemque urgeat neceſſe eſt, quùm à torturâ hodiernâ nullus innocens inconfeſſus abeat. Sed

Leſſ. de juſt. & jur. lib. 2. c. 29. Dub. 17. n. 156.

Sed quid non comminiſcetur hoſtis ille generis humani ſub pietatis aut juſtitiæ ſpecie, quùm à nonnullis etiam Judicibus in teſtem ipſemet admitti meruerit, hiſque in judiciis, quibus de reorum honore & vita agitur? Hoc nempe operatur atrox illud laxioris juriſprudentiæ dogma, quo à theoricis pleriſque practicorumque nonnullis ſancitur, ejuſdem criminis ſocios hoc in ſortilegii judicio fidem in complices mereri, ad torturam, adeoq; ad mortem ſufficere infames teſtes, extortaſque cruciatibus accuſantium, ſeu (ut vocant) revelantium voces. Quid Theoricorum pleriſque ſpecioſius, hoc argumento? *Criminis enormitas humaniq; generis ratio in extirpandis ſortilegis Judicem à legis rigore ſolvunt his in proceſſibus inſtruendis. eorum probatio tantæ molis eſt, ut non aliter in lucem prodeant, quàm inteſtabilis cujuſq; teſtimonio; quod ſi quem indemnatum de tot delatis elabi patiamur, Deum in genus humanum talium incuriam impunitatemq; vindicaturum?*

Mall. Maleſ. Bodin. lib.3. Binſfeld. ubi ſupra.

Sanè ex tot nuperis auctoribus qui de juſtitia & jure quotidie volumina voluminibus accumulant, non pauci ſolidioris ingenii liberè in hos abuſus invecti

Delrius lib. 5. append. 2. qu. 1. concl. 1. Farinac. prax. crim.

lib. 1. tit. 5. qu. 43. n. 36. gloss. in l. fin. C. de accusat. invecti sunt, funestamque malorum inde emergentium seriem querelis prosequuntur. Alii, timidioris ingenii viri, sæculo suo servientes, obliquâ censurâ carpere laxiores contenti, in cæteris acquievere; Commune tamen odium quo atrociora flagitia prosequimur, quùm nostrûm cujusque intersit à noxiis nos asserere, ad laxiora dogmata plerosque recentiorum transversos agit. His accedit frequens inter homines familiareque malum ignorantia, nimiaque alienæ auctoritatis æstimatio, ac denique fisci avaritia, quae mentem nobis infirmam adversus æquitatis securiora præsidia obdurat, reorumque innocentium perniciem pro grato superis sacrificio in hoc crimine nobis approbat.

Hoc unico prætextu in sortilegii quæstionibus ab omnibus antiqui juris formulis recessum est, æquitatique *l. fin. § nemo igitur. C. de accusat.* naturali derogatum, quâ jubemur *ne quem de se confessum super conscientiâ scrutemur alienâ*, quùm (ut perperam ex adverso objicitur) reipublicæ bonum privato bono præferendum sit; sed si in quæstionum usu plus periculi publici, majusque nobis ac proclivius inno-

innocentium diſcrimen quàm facinoroſorum convictio comperiatur, quid vetat quò minùs, exploſo vetere abuſu, ad ſaniorem legum divinarum obſervantiam redeamus, quùm præſertim quotidiano experimento de torturæ fallacia mendaciiſque convincamur? enimverò non in hac ſententia ſolus hæreo, timidiuſque ac reverentiùs eâ uterer, ſi non firmiſſima ratione graviſſimaque piorum doctorumque idem ſentientium auctoritate niteretur; & ratio quidem eſt, quod innocentis unius ſalus Deo nobiſque carior acceptiorque eſſe debet, quàm decem noxiorum damnatio, atque adeò decem potius illi impunes dimittenti ſunt, quàm unius injuſto nos ſupplicio inquinemus. Ratio hæc Evangelicâ veritate fulcitur, quâ præcipimur, ne præpoſtero ſtudio zizania eradicandi, in periculum impingamus, triticum, id eſt bonos ſimul cùm malis extirpandi, officium illud divinæ juſtitiæ ad univerſalis judicii diem remittentes, quam diem providus rerum conditor & moderator, *diem meſſis* metaphoricè indigitat: Atqui ſi ſociorum ejuſdem flagitii reorumque confeſſionibus cruciatibus

Delr. lib. 5. ſect. 5. n. 4. Tanner. de juſt. & jur. Diſp. 1. q. 5. Cautio crimin.

Matth. 13. 19. & 30.

extortis insistamus, in infinitam innocentium lanienam, ex rationibus ac experimento luce meridiana clarioribus necessariò implicamur. Igitur ex evidenti publici boni respectu ab explorato errore desistendum est.

Ex ordine Capucinorum.
L'incredulité sçavante & la credulité ignorante
Impress. ann. sal. 1671.
Luc. 19,22.

Prodiit tamen in lucem paucis ab hinc annis Reverendi Patris Jacobi Augustodunensis liber, cui titulus est, *docta incredulitas, seu indocta credulitas*, iisdem ni fallor, erroribus obnoxius, quod humanæ legis auctoritate in devia prolapsus auctor, arctis divinæ legis cancellis se satis non continuit, In id enim Evangelii intentus, ubi divinus Legislator metaphoricè, ut plerumque solet, loquutus, se ex ore proprio de servo nequam judicare profitetur, publici illius boni specioso ductus prætextu quo torturæ rigor exitialis innititur, testimonia illa jure divino reprobata, extortasque tormentis reorum confessiones, tutam moraliter opinionem præstare arbitratur; sed si seriùs expendamus bonum illud publicum quo torturæ diritas specie tenus innititur, procul dubio depræhendemus, illud in bonorum conservatione potiùs, quàm in sontium damnatione versari, quùm ex-

expreſſo divini oris effato prohibeamur, in ſontes non exploratos animadvertere, ne ſub nocentium ſpecie communi ſupplicio & innocentes implicemus.

Ut autem pleniùs excutiamus divinum illud oraculum quo vir ille religioſus innititur, juvat ipſa Servatoris verba referre. *Serve nequam* (inquit) *ex ore tuo te judico.* Judicat ſanè pater ille familias in parabolam à Chriſto Servatore inductus, ſervum ſuum fatentem, ſed ſpontaneâ confeſſione; multum autem intereſt quo quis modo confiteatur; an internâ cordis compunctione, quæ germanam veritatem redolet, an immani cruciatuum lanienâ ad voces coactas & omnimodas tyrannicâ crudelitate compellatur. Non igitur penitiorem divinæ metaphoræ ſenſum ſpeculatus eſt vir pius, quâ nobis exemplum privatæ œconomiæ, non publicum politici aut juridici regiminis exhibetur. Deerat enim confeſſioni illi Evangelicæ horrendum illud ac immane torturæ adjunctum ſuapte naturâ nunquam mendacii ſuſpicione carens, quo tota rei ſpecies imutatur, nec ullâ ex parte caſui noſtro reſpondet.

Nimi-

Contrariū tenuerunt Delrius Disq. Mag. lib.5 sect.5. n.4. Chassan. in consuet. Burg. rubric.1. §.des justices & droits d'icelles. Jul. Clar. q.21. n.9. Prosp. Farinac.q 43. n.39. & 62. & 73. cum aliis, quos refert & sequitur Mart. Delrius ubi supra.

Nimiùm igitur humano dogmati tribuit religiosus scriptor, quùm parte conciliantis susceptâ, transit in partes severiorum juris antiqui divinæque legis transgressorum, criminum atrociorum adulteram admittit probationem, sortilegium tot ludificantium dæmonum præstigiis obnoxium, torturæ probationibus subjicit. Confessionum cruciatibus extortarum dubiam fidem veretur agnoscere ingenuéque profiteri, severiorumque insistens vestigiis, sub publicæ causæ larvâ, deploratæ suffragatur iniquitati. Quid enim aliud est iniquitatem fovére, quàm sententiæ illi subscribere quæ ex duobus incertis certitudinem elicit? Indicia nempe ex teste unico deducta, quæ vix semiplenam probationem efficiant fallaci torturæ supplemento completa. Aristotelem denique in Apollinis oraculum sibi præfigit, quùm ex ejus dogmate, vulgi rumores, quòd apud credulos speciem veritatis usurpent, pro veritate reputat. Sed veritatem in judiciis quærimus, nec speciem veritatis incertam, quæque plerumque fallat processuum capitalium pharo temerè præfigimus.

Atqui

Atqui in ſortilegii quæſtionibus nihil vulgari rumore incertius. Quis enim fatuæ plebis ſciolorumque næ-nias ac deliramenta non novit, in rebus Cacodæmonum præſtigiis undique ſcatentibus? quis denique dolos arteſq; verſutiſſimi veteratoris ignorat, quibus plerumque cautioribus imponit? Quid mirum ſi nobis ſub zelo religionis irrepit.

Hactenus naturalis ſenſus evidentiâ, legumque divinarum irrefragabili auctoritate falſam illam larvatamque boni publici ſpeciem quâ ſortilegii quæſtiones cæterique juris abuſus fulciuntur pleniùs expunximus. Si quis tamen humanæ doctrinæ ſuffragia in ſubſidium deſiderat, en quod in iſtis ſenſerit doctiſſimus ætate noſtra theologus. *In criminibus* (inquit Adamus Tannerus) *exceptis aut non exceptis, etiam in quæſtione ſortilegij, ita procedendum eſt, ut in illis proceſſibus innocentes plerumq; non periclitentur ex defectu cautionum moralium à Judicibus neglectarum.* Sententiam ſuam firmat loco ſæpiùs à nobis hoc in opere ex Matthæo Evangeliſta deſumpto, ut *ne ſcilicet cum lollio eradicemus & triticum*; unde concludit, hoc in oraculo gene-

De juſt. & jur. Diſp. 4 q. 5. Dub. 1 n. 3.

Matth. 13. 29.

generalem legem præſcribi quibuſcumque Judicibus & Magiſtratibus, *ut ſi quod crimen puniri & extirpari non poſſit, non ſolùm abſq; certa pernicie, ſed etiam ſine morali periculo innocentum (quod nempe ſignificatur per particulam forte) abſtinendum potiùs ab illius criminis punitione, idq; divinæ vindictæ ultimoq; judicio relinquendum, quàm intempeſtivo perniciosoq; ſtudio innocentes ſimul cùm nocentibus perimere*; hancque communem eſſe Doctorum ſententiam teſtatur & ſuffragio ſuo confirmat; atque ideò lectorem ad hunc theologum remittimus, ut ex ejus lectione certior fiat, diſerto tanti auctoris experimento, quàm grave reipublicæ ſæpius creatum ſit poſſitque impoſterùm creari periculum ex depravata torturæ proceſſuumque privilegiatorum licentia, quùm jure naturali nec divino, quibus Chriſtiana reſpublica regitur, nullum diſcrimen interſit inter excepta & non excepta crimina quoad proceſſum & verificationem, unde prudenter pieque concludit idem Theologus, fore *ut ſi denunciationes illegitimè extorqueantur, vel nimiùm denunciationibus deferatur, non abſq; periculo morali atque præjudicio innocentium fieri poſſit*; quin

Idem Tanner. tom. 2. diſput. 5. q. 1. Dub. 3.

Idem ibid. diſp. 4. q. 5. Dub. 1. n. 8. tom. 3.

quin si processus ejusmodi diu continuetur toti communitati periculum immineat, ne simul innocentes cùm nocentibus eodem supplicio, quasi generali incendio compræhendantur; quod in hoc sortilegij crimine faciliùs evenire ipsa acerbitas & frequentia consueta tormentorum persuadet. Inquirit ulteriùs, vir pietatis eximiæ, in tragicos funestosque processuum irregularium excessus, quibus necessariò innocentibus de honore, fortunis & salute ipsâ negotium facescitur; imò ipsi etiam Christianæ reipublicæ; diserteque calculo suo definit, ut *si quo processu fori criminalis, saltem inter decem aut etiam viginti nocentes, unus simul innocens eidem pœnæ & infamiæ possit involui, ab ejusmodi processu, punitione ac inquisitione ipsorum etiam nocentium abstinendum.* *ibid. n. 11.*

Ipsi etiam Delrio (quis credat) quamvis severissimo quondam capitalium atque adeò sortilegii Quæsitori, semel excidit ad semetipsum reverso. *Esto* (inquit) *sit probatio criminis admodùm laboriosa. Progrediatur ergo hoc ad torturam; si ad necem insontis extendis, nonne durus & sævus meritò dicare? Sit crimen atrox natura; quid tum, si reverâ non commisit? Sic aliqui noxij ela-* *Disquis. Mag. lib. 5. sect. 5. n. 4.*

elabentur? præſtat decem elabi, quàm unum innoxium condemnari. Si tortus fuit innocens, poteſt ei ſolatij aliquid impendi: ſi damnatus & necatus, quod tu mortuo præbeas cataplaſma? quâ in re quis divini numinis providentiam non admiretur ex eodem ore tot rigorum quot Delrius undique ſcatet expreſſam palinodiam! Quid mirum, quùm ipſi etiam Ariſtoteli viſum ſit, ſatius ex republica nocentes dimittere, quàm innocentes damnare?

Problem. ſect. 29. part. 13.

Nec ad præmiſſa infirmanda quicquam attinet quorundam Quæſitorum Canoniſtarumque ſimilitudo à bello petita; quid enim commune torturæ cùm bellicis cladibus? Quas enim calamitates bellum ingerit, ad bona tantùm temporalia vitamque hominum porrigi certum eſt; ſed violento illo proceſſu criminum exceptorum, non vita ſolùm & facultates, ſed honor etiam probaque exiſtimatio plurimorum innocentium indubiæ perniciei ſubjacent; unde cæteris diſpendiis, qnibus Chriſtianæ reipublicæ quies ex torturæ injuſtis effectibus continuè convellitur, hoc etiam peculiare damnum accreſcit, honoris ac famæ tot innocentum jactura,

Id. Tanner. tom. 3. diſp. 4. de juſt. q. 5. Dub. 2. n. 38.

ctura, quam Deus ipſe tanti æſtimat. Aliud etiam diſcrimen intercedit inter exempla ſuperius adducta, à nemine hactenus, quod ſciam, torturæ improbatore ſatis expenſum; quod ſcilicet bellum eſt malum pœnæ, ut Theologi loquuntur, cujus effectibus homo merè paſſivè ſubjacet ad divinæ vindictæ complementum; ſed torturæ uſus & abuſus in quæſtionibus obſcuriorum criminum ex humana voluntate procedit, eſtque malum, (ut vocant,) *culpa*, quod neglecto divinitus præſcripto ordine probationum, ad Paganorum tyrannorumque novationes præcipitat, bonumque publicum potiùs deſtruit quàm ædificet aut ſtabiliat.

Scio recentiorum pleroſque, ipſumque ſuperiùs laudatum ſcriptorem noviſſimum à Bartholomæo Spineo proceſſuum iſtorum Apologiſta, pleraque omnia quæ circa præmiſſa licentiùs à rerum capitalium Quæſitoribus præferuntur, hauſiſſe; ſed non ineptè dixerim graviſſimum illum Doctorem refutandi Ponzinibii cujuſdam, malè de ſortilegis ſentientis, ardore provolutum, ulteriùs quàm par ſit in omnes Juriſconſultos ſæcu- *Apolog. 3. contra Ponzinib.*

H la-

laresque Curias progressum. Humano ratiocinio media quædam via ineunda est, quæ nos pari spatio ab opinione auctoritati plus justo, rationique minùs tribuente disterminet. Nempe umbratiles illi solitariique Doctores, zelo disciplinæ incensi sectæque placidis addicti, leges sibi, ut vocant, theoricas & ideales constituunt, quæ plerumque rei subjectæ, aut, ut vocant, hypothesi aptatæ & apud rerum peritos in actu expensæ, à principiis theoricis mirum quantum dissentiant. Scilicet in id potissimùm incumbunt Theorici, ut probent possibilia esse quæcumque de nocturnis illis orgiis vulgari sermone circumferuntur, solumque sui juris esse de iisdem & inquirere & judicare. Ad hæc dicimus; non inter nos de possibilitate agi, sed de actu vero & reali criminum illorum à communi hominum notitia sepositorum.

Barth. Spineus fusè in apolog. 1. cap. 1. ibi de Jurisconsultis loquens. Allegant (inquit) Doctores juris simili nescientiâ laborantes, eò quòd talium notitia ad eorum professionem non spectet.

CAP. XI.

Expenduntur Theologorum Criminalium, quos vocant Quæsitores, placita super corpore delicti in sortilegiis.

ENim vero quod ad verificationem sorti-

legii attinet, libenter & ex animo Quæsitori Ecclesiastico relinquimus quod sui muneris est, formalem (inquam) ut vocant, Apostasiam, quippe quæ ex Theologorum calculo hæreticæ pravitatis crimini aggregatur; sed de hoc plerumque aut in his quæstionibus non liquet, aut si quodammodo liquere præsumatur, ex confessionibus vi cruciatuum extortis eruitur, quæ dolorem potiùs torti, quàm criminis speciem aut veritatem indicant; sed quâ ratione quove titulo veneficii sive maleficii cognitionem & quæstionem nobis denegent, quùm hæ criminum species plerumque à sortilegio & apostasia differant, utpote quæ facilius probentur, subque Judicum oculos cadant; nam & actibus sensibilibus constant, & rei speciem flagitiique vestigia post se relinquunt, quibus, ut vocant, *corpus delicti* probari possit; atque ideò Laïcorum subselliis specialiter reservantur, non solùm quoad processum, sed quoad damnationem & judicium.

Ita Alexander 4. Can. accusatus. §. sanè de hæret. in 6.

Ad conciliandam fidem delationibus ac confessionibus illis violentis à reis sociisve criminis in sortilegii quæstionibus extortis Aristotelem

adhibent, ex ejusque placitis ingerunt, nil in sensu nostro communi ideas posse formare, nec illas intellectui nostro passivo objicere, quin eas à penu memoriæ mutuetur. Hanc nil aliud esse quàm promptuarium quo servantur phantasmata sive rerum sensibilium imagines, quas illi vis phantastica, sive imaginativa suppeditat ab externis sensibus receptas. Optima sanè, nec quæ captum nostrum admodum exuperent; his præmissis annectunt tanquam necessarium consequens, confessiones delationesque illas vi extortas de visis illis nocturnis probari, quandoquidem ideæ illæ ac imagines rerum in conventibus illis diabolicis perspectarum in phantasia illorum non subsisterent, nisi ex sensu externo quandoque reapse illas percepissent.

Jam verò, ut ratiocinium illud quâ claudicat fulciant, theologico dogmate utuntur, quo sancitur, Diabolum nullam novam speciem in humano intellectu creare posse, atque adeò ad id necessitatis adigi, ut iis solis utatur quæ jam à sensibus externis inductæ sunt, quarum motum duntaxat localem illi tribuunt, ex quibus inferunt,

runt ſtryges ſeu ſortilegos illos phantaſticos, his nocturnorum congreſſuum ſpeciebus non potuiſſe deludi in ſomniis, ni priùs illas, modo quo ſupra dictum eſt, vigilantes recepiſſent; nec poſſet malus genius non priùs receptas ex nihilo formare nec inducere. Ad hæc, ſepoſitâ tantiſper Ariſtotelis auctoritate, Peripatheticorumque placitis, reſpondeo, teſtari nobis de contrario Spiritum Sanctum expreſſis Ancyranæ Synodus verbis ita definientis; *quis enim in ſomnis & nocturnis viſionibus non extra ſeipſum deducitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam vigilando viderat?* *c. Epiſcopi. 26. q.5.*

Scio pleroſque Concilii hujus auctoritatem niſos pro virili convellere, Patremque illum Bibractenſem *indoctæ credulitatis* auctorem ab Ancyra Galatiæ ſeu Gallogræciæ urbe, ad Aquilejam in ipſo ſinus Adriatici receſſu quondam poſitam perperam amandare; quâ in Synodo par tantùm hominum de hæreſi damnati ſunt; ac in eâ ne verbum quidem de præſtigiis Dæmonum; ſed Baronio teſte comperimus Synodum illam Ancyranam, quæ urbs etiamnum hodie *Angori* Turcis indigitatur, verè legitimam ac natio- *Baron. ſub ann. Chriſti 314.*

tionalem fuiſſe, auctoritate Vitalis Patriarchæ Antiocheni congregatam, conſtitiſſeque duodeviginti ſanctioris vitæ Epiſcopis, quorum major pars decennio poſt Nicænæ Synodo interfuere, in eaque totidem fidei articulos communi calculo definitos. Idemque fatetur ipſe Spineus, non ſolum naturâ, ſed & Dæmonum præſtigiis quotidianâ experientiâ teſte effici; ſed ſi pertinaciùs urgeant illud eſſe Dæmonibus impoſſibile; certè ex abundanti conceſſum illis velim quicquid Ariſtoteles circa prædicta generaliter ſenſit; ſed quid inde paralogiſmo ſuo quæſitum non video, quum ratiocinio ſuo deſit pars potiſſima ſyllogiſmi, cui tanquam baſi innititur; Oporteret enim, ad hoc ut Argumentum illud eſſet demonſtrativum, aut ſaltem dialecticum, ſecundum Ariſtotelem, ut conſtaret ex duabus propoſitionibus ex quibus minor prioris ſeu majoris concluſionem cathegoricam efficeret. Prior autem propoſitio duo continere neceſſe habet; verbi gratia, *Nullus in ſomnis videt quàm quæ ſenſibus externis antea vigilando perceperit, ne quidem Dæmonum præſtigiis*; *Atqui ſomniatores illi nunquam ſenſi-*

ſub ann. Chr. 325.

ſenſibus externis perceperunt ullam ſpeciem nocturnorum Bachanalium; ergo nec arte Dæmonum ullam percipere poſſunt in ſomniis. Hoc caſu major illa generalis negativa, quæ duobus ſcolæ principiis innititur, ex placitis utriuſque facultatis quæ formando huic ſyllogiſmo conveniunt auctoritatem haberet demonſtrativam, quæ particulariter & per hypotheſim reſumpta, concluſionem omnimodam operaretur; ſed auctores illi qui Scholarum principiis innituntur, neque probant illa ipſa in minori ac caſui noſtro ſpecificâ propoſitione concurrere, in quo judicia illa ad torturam urgentia conſiſtunt, non ſatis adverterunt præmiſſa ſua neceſſariâ illâ minori ſuppoſitione non fulciri, atque adeò ratiocinium ſuum ſophiſticum ac vitioſum inde argui.

Quod autem ſomniatores illi quorum confeſſioni ex ſomniis emananti fides habetur, quibuſque de ſociis creditur, poſſint ex propriis ſenſibus nocturnorum congreſſuum aſſertas imagines, abſque reali aſſiſtentia contraxiſſe, luce meridiana clariùs eſt; quis enim ex utroque hominum ſexu adeò hebes aut ruſticus eſt, qui ex au-

ditu quæ de larvatis illis Orgiis circumferuntur, uſque ad minutiora quæque non perceperit? Sufficit enim ut ſemihoræ ſpatio villicis confabulationibus ſemel aut iterùm aſſederit, aut in oppidis ad mulierum conventicula convenerit, ut tantundem de prædictis audiat, quantum à Remigio, Bodino, Delrio Malleoque maleficorum typis exaratum eſt. Quid ergo, poſt tot edita de ſortilegis volumina, nocturnis illis congreſſibus interfuiſſe neceſſe eſt; quaſi verò malus ille genius non poſſit, his ſemel auditis ſpeciebus, & phantaſiæ inhærentibus, uti ad illudendum innocentibus, non mutuato aliunde talium ſubſidio.

Sed, ſi lubet, de potentia ad actum tranſeamus, nec ſolùm id poſſe fieri probaſſe ſufficiat; quin imò factum pluries oſtendamus. Hoc autem ſi duobus integris ac fidedignis teſtibus probavero, ſpero fidem eò pleniorem facturos, quòd in eò crimine verſemur, in quo probando inteſtabiles omnes, imò & quandoque Cacodæmon, obſeſſorum organo uſus, in teſtem, quamvis perperam à nonnullis Quæſitoribus admiſſus eſt. Adamus idem

idem Tannerus Societatis Jesu Theologus, de quo antea meminimus, in haec ipsa verba sententiae nostrae suffragatur. *Accepisse se à duobus viris gravibus & doctis in hoc versatis, à personis quas ipsi pro innocentibus habebant, sibi planè fuisse persuasum, eos quum in torturis similia inquirenda probè novissent, jam prius quae verisimilitudinis speciem habere possent, quaeq; jam antea hinc inde damna illata audivissent, animo praemeditata sponte sibi ipsis imposuisse, ut torturas eò citiùs evaderent*; quibus subjungit; *Certè hoc fieri posse nemo negaverit, & factum esse aliquando, in tanta tormentorum acerbitate est incredibile*; Quid mirum igitur haec hodie fieri, quae Tullius ipse cujus translatitio dicto torturae fides innititur, jam inde suis temporibus fieri in crudelissimo ac mendacissimo torturae usu nobis testatur? sic enim de servis loquens: *quod alius*, inquit, *alio reticentior sit in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum, quod deniq; sciri aut suspicari possit quid Quaesitor velit audire, quod quùm dixerit, intelligat finem sibi doloris futurum.*

De just. & jur. Disp. 4. q. 5. Dub. 2. n. 41, tô. 3.

Lib. 2. Rhethor. ad C. Herenn.

Quid hic, amabo, contra auctoritates experientiâ vallatas, à Paganis non minùs quam Christianis doctori-

bus petitas? Anne Aristoteles ſenſuum noſtrorum aſſertor, an Plato reminiſcentiæ propugnator in ſubſidium à contrariis advocabitur? Ubi jam Peripateticæ Thomiſticæque ſcolæ principia? ubi ſyllogiſmi claudicantes & paralogici, qui majorem tantum aſſerunt, & conſequens eliciunt, non aſſerto antecedente? Dicetne iterùm ſtomachabundus Spineus, non eſſe noſtrum de Dæmonum præſtigiis, quæ captum noſtrum exuperent, judicare? quùm in caſu noſtro Theologi Laïcis, (ut ajunt,) doctoribus & judicibus accedant, Paganique adeò Chriſtianis? ſed ſi his in proceſſibus, ut Spineo magiſtraliter & ex ſuggeſtu intonanti non ſemel excidit, ſola nobis executio, ceu carnifici relinquitur; liceat ſaltem religione profanos duci, ne religioſi judicis effato ad incerti nocentis exitium provolent, ne mutire quidem auſi, nec attento judicantium incruento miniſterio.

Si quis autem alterum teſtem deſiderat falſarum delationum in tormentis fallaci confeſſione extortarum, legat quæ experimento compertus eſt alter ejuſdem ſocietatis Theologus in eo libro qui inſcribitur,

Cautio

Cautio criminalis, ab undecimo usque ad duodevigesimum Dubium, & passim toto illo opere; quumque vir ille doctus & prudens innumeris iñocentibus injusta supplicia in Germania passis, ut ipse fatetur ingenuè, à sacris confessionibus affuerit, ejus suffragium Tanneri superius allegati doctrinæ, pluriumque ejusdem societatis Patrum testimoniis, quos idem, quamvis suppressis nominibus allegat, annectendum est; quos quidem Jesuitas procul dubio credere par est ad idem confessionum ministerium reis per Germaniam vi tormentorum ad falsas confessiones adactis adhibitos.

Ut verum ingenuè fatear, vix ex viginti de sortilegio suspectis, per hos cruciatus cœteramque processuum anomalorum seriem ad supplicium adactis ne duos quidem legitimè convictos arbitror. Quid post homines natos reipublicæ nocentius, quàm rumores in vulgus sparsos, infamium testium dicta, expressa cruciatibus testimonia aut indicia, adactos ad torturæ indubia mendacia, atque adeò ad certissimam perniciem quosvis sortilegii delatos pro veritate reputare?
Quid

Quid rationi pugnantius, quàm ſub boni publici ſpecie in genus humanum tormentis vires hominis excedentibus immaniter graſſari? Quid mirum ſi Theologis ſupra citatis viſum ſatiùs eſt, triginta ſontes dimitti impunes, quàm ne vel unum inſontem, infami ſupplicio cruciatuum tyrannide exponere, quùm ex unius damnatione, ut eſt genus humanum ad extendenda dedecora petulans & proclive, plurium familiarum honor & fama pendêre videantur; unde ne minimum quidem ambigit vir ille Theologus in damnando torturæ uſu proceſſibuſque à jure communi æquitateque naturali recedentibus; *plus enim à Deo timendum eſt*, inquit religioſus Doctor, *ex continuatis innocentium periculis, quàm ex torturæ proceſſuumq; ex legum antiquatione*. Hujus ſententiæ auctores habet Divos Auguſtinum Hipponenſem Thomamque Aquinatem, nec inveniri virum cordatum arbitror qui tot næniis quibus Malleus maleficorum pluresque alii de ſortilegio, Lemuribus & ſagis tractantes proceſſus & libri ſcatent ex animo ſubſcribat.

Cautio crimin. Dub. 13.

Auguſt. contra epiſtol. Parmen. c. 2. & contra Creſcon. lib. 2. c. 34. & 37. D. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 8. ad 1.

Scio Ponzinibium quondam Juriſcon-

consultum Italum, quòd confessionibus illis per cruciatus expressis non subscriberet, adeò bilem movisse Bartolomeo Spineo Quæsitori sortilegorum emerito, ut ex concepta in Ponzinibium indignatione, in omnes (ut ejusdem dicterio utar) *Juristas* acriter invectus, atrocissimis illos conviciis prosciderit, *Canonistis*, (ita juris Pontificii Doctores ex vulgari vocabulo nuncupat) non pepercerit, quosdam theologos *solo nomine religiosos*, *solo habitu regulares* appellet. Sed potissimum in juris Cæsarei peritos ex Ponzinibii contagio bilem effudit, adeò ut à nullo convicio in ipsam jurisprudentiam sibi in propria causa judex iracundus temperaverit; *quod enim* (inquit Spineus) *sic invalescat illa sagarum labes*, *potissima causa est quorundam juris doctorum persecutio*, *quibus Principes theologiæ expertes facile credunt quasi sapientibus, licet in hujusmodi satis rudes existant.*

Fateor plerumque Cæsarei Pontificiique juris peritos theologiæ placitis non admodum initiatos; sed non inde sequitur quotquot juris se prudentiæ addixere in sacris doctrinis adeò cœcutire, ut in eos Spineo detur

magi-

magiſtrali ſcuticâ ſæviendi auctoritas. Sit licet objectum theologiæ Deus, non minùs ad auguſtum illud objectum juriſprudentia ſtudii ſui obtutum refert. Illa pietatem reſque divinas contemplatur, & humano ratiocinio uſa, per revelata miſteria, traditiones ſeniorum, ſacrorum Codicum volumina, Patrumque ſanctorum placita divina rimatur & inveſtigat. Juriſprudentia ipſo actu veritatem divinæ legis exercet, juſtitiam realiter colit, de jure privato diſſerit & decidit. Jus divinum humanumque, ne à quoquam hominum lædatur ſatagit, moribus proſpicit, religionem ſartam tectam præſtat, in crimina denique jure humano divinoque vetita vendicat & animadvertit. Quid juris Theologo umbratili in facultatem divino jure gladio armatam ſupremique in homines Magiſtratus miniſtram, ut eam profano faſtu Theologiæ ancillam mancipet, cæcam ac rerum divinarum expertem afferat, divinæ in Sagas & Lemures vindictæ obicem ac remoram criminetur? Quaſi verò Cucullato Quæſitore in genus humanum quæſtionibus ſæviente, ſolâ confeſſione cruciatibus

extor-

extortâ quosvis sortilegii conventos ad libitum damnante, ubi nec de corpore delicti, seu maleficium sit sensibile, sive formalis, ut vocant, Apostasia, constare potest, solâque falsâ, mendaci ac divino jure reprobà confessione inducitur, nobis supremi dominii gladium præferentibus ne hiscere quidem liceat, solisque Cucullatis datum sit in maleficos inquirere.

Sed, amabo, quid priscis illis Christianis insolentius, quàm viros aris addictos, innocentes aris addicere ut imolentur? Humanis victimis Druidarum instar litare humani generis hostibus, præposteroque extirpandæ apostasiæ studio, innocentium salutem exploratissimo torturæ cruciatu in continuum discrimen adducere? quid religioso homini indecentius, quàm humano sanguini specie religionis inhiare? quid immodestius, quàm *sæculares*, ut illis audimus, *judices*, quibus gladii potestas à Dei Vicariis commissa est, ad solum carnificis ministerium relegare; nempe quod Quæsitoribus ecclesiasticis visum sit capitale, supremis Curiarum Senatoribus, ne per speciem examinis licebit attingere. *Ad Juristas* (inquit Spineus)

non

non pertinet de eo quicquam cognoſcere. Adeone præter Inquiſitores theologos, genus humanum cœcutit, ut Peripatetico huic Theologo divina providentia vel ipſos ſublimioris ſubſellii Magiſtratus in ſervos addixerit. Ancillatur certè divinæ providentiæ jurisprudentia, ſed non Theologis, torturâ confeſſionibuſque mendacii ſuſpectiſſimis in reos incompertos ſævientibus. Nec minùs ancillatur divinæ providentiæ Theologia. Omnes virtutes, omnes facultates, omnes homines Deo optimo maximo deſerviunt, ad ejus cultum omnes unanimes aſpirant; ſed gladii uſu Theologis ſacerdotibus eſt interdictum, nec minùs alieno miniſterio utens Quæſitor, ſive in torquendo temerè reo, ſive in definiendo incerto maleque comperto crimine in proprium miniſterium peccat vir religioſus & ſacerdos, quàm ſi propriis manibus humanum ſanguinem effunderet; quid ergo ſuccenſet Principibus Spineus, ſi quandoque immodico Quæſitorum ardori lanienæque reſtiterint? cur ab eis eorumque Miniſtris Sagarum Lemurumque frequentiam, Apoſtaſiæ veneficiique impunitatem

repe-

repetat, quùm & ipſe ſummus ſacerdos ſupremumque Romanæ Inquiſitionis Officium hujus miniſterii abuſibus obviam eant, ingenueque fateantur ſæpiùs & in torturæ uſu & in cæteris proceſſuum ſortilegii circumſtantiis à Quæſitoribus auctoritate ſuâ deputatis peccatum? *videDiploma in calce hujus operis ſubjunctũ.*

Implent, inquit Spineus de Jureconſultis, *allegationibus folia integra*; quaſi verò non æquè Theologis hoc infelici ſæculo paſſim ſcripturientibus id labis inſeverit, ut dimidiatis auctorum nominibus, abbreviatiſque diſtinctionum interpunctionumque caracteribus integra pœne volumina miſceant. Sed improperet quantumlibet ſtomachoſus Quæſitor, extortaſque cruciatibus confeſſiones intonet, tantùm abeſt ut à propoſito fine revocer, quin imò totum hoc opus univerſalis Eccleſiæ cenſuræ ſubjicio, primum Oecumenicum Concilium, ſi quando à ſummo ſacerdote, annuentibus Regibus, legitimè cogi contingat, humiliter deprecatus, ut expenſis ſtudii noſtri conatibus, illis aut annuat, aut fidem ex potiore libitu, ſerioque ac penſiculato judicio detrahat, cui me humiliter ut Chriſtianum decet, ſum-

mitto, certus fore ut ſi non omnibus probari meruerint, ſaltem pii ac Chriſtiani zeli nomine audituros, dignoſque adeò ut in ſolemni Chriſtianorum Concilio examinentur.

CAP. XII.

Expenduntur pugnantes ex diametro contrariorum ſententiæ.

Nider. formicarij lib. ult. contradicunt Sprangerus & Remigius, quibus accedit Boguetus ex Mall. Malefic. fol. mihi. 340. & 559.

QUis, quæſo, ferat pugnantes ex diametro contrariorum ſententias? Poſtquàm enim pertinaciter aſſeruerint malis geniis in ſagas carceri ſemel mancipatas nihil juris relinqui, pactiſque finem adeſſe; ut primùm quempiam cruciatuum patientem nacti ſint, exclamant pacto illum taciturnitatis, ut ajunt, narcoticove medicamine Dæmonum arte ad cruciatus obſtupeſcere? Lachrymarum etiam defectum in crimen vocant, vitioque dant, cruciatuum pelago penitùs involutos, tantùmque ad ſilentium lethale non adactos, in fletuum rivos non diſſolvi, linguæque inutili uſu abſtinere? Sed ſi rurſus doloribus obruti, & obſtupeſcente ad immanem lanienam animo, muto ſilentique luctui indulgent; novis illico arman-

Boguet. c. 40. de malefic. ex Bodino l. 4. c. 4. Demonom.

armantur judiciis, ut gravioribus tormentis impœnitentes ac taciturnos ad omnimodam criminis confessionem adigant. O ſæculum! ô mores! ô Chriſtianas in atrocioribus & obſcuris rei peragendi methodos; quî enim Neotericus ille *credulitatis inſciæ* indagator pugnantia hæc inter ſe conciliet? Verba, inquam, Spinei ex quæſtione de ſtrigibus excerpta; *neq; enim tempore illo quo actuali judicio ſubduntur Inquiſitoris, alicui nocere prævalent*; qùum ex Malleo maleficorum non minùs aſſeratur, maleficas ſolo aſpectu & oculorum intuitu Judices maleficare. Verba ſunt Sprangeri Quæſitoris, Inſtitoriſque itidem Quæſitoris Collegæ, qui ambo hîc & alibi teſtantur, *quaſdam in Caſtris detentas mulieres*, ſagas intellige carceribus mancipatas, *quæ nihil ferventiùs à Caſtellanis*, id eſt Caſtelli ſeu cuſtodiæ aut Carcerum præſidibus, ſeu mavis Commentarienſi, ut jura Romana loquuntur, *quàm ut in adventu Judicis aut alterius Præſidentis eis concederetur, ut primum intuitum viſus in ipſum Judicem dirigere poſſent, antequam ab eo vel aliis aſpicerentur, ex quo intuitu etiam ſortitæ ſunt ut talis Judex aut alij ſui Aſſeſſores ita alieni in*

Idem aſſeritur à Mall. Malef. tom. 2. part. 2. q. 1. fol. mihi. 214.

Tom. II. Part. 2. Mall. Malef. q. 1. cap. 12. fol. mihi 340. ſub fin. & fol. 559.

eorum cordibus fuerunt, quòd omnem ſi quam habuerunt indignationem amiſerunt, nec ipſas moleſtare quoquo modo præſumebant; ſed liberè abire permiſerunt; Unde ſubjungit idem Sprangerus de ſeipſo loquens, *qui ſcit & expertus eſt, verum dat teſtimonium, & utinam talia procurare non poſſent!* referentibus demùm iiſdem Quæſitoribus *in territorio Conſtantienſi ad ſylvam nigram maleficam, dum à Carnifice ſtrui lignorum ad ſupplicium imponeretur, dabo tibi (inquit) mercedem, & in vultum carnificis converſa ſpiritumq; ex ore emittens, illicò leprâ horribili per totum corpus percuſſus eſt, paucisq; poſt diebus interiit.* Equidem ſi Neotericus ſcriptor hæc ad prioris dicti palinodiam recantaſſet, aliquantulum ſaltem credulitati levitatique ſuæ conſuluiſſet; ſed quid hominibus credas Æſopici ſatyri inſtar eodem ore calidum & frigidum ſpiritum emittentibus, contrariaque in eodem ſubjecto prædicantibus?

Auctor ignare credulitatis. *part. 2.*

Demonom. lib. 4.

Bodinus Judaicæ Cabaliſticæ ſectator primarius, poſt Malleum illum maleficorum, Domitianum nobis obtrudit, ut tam prægnanti exemplo perſuadeat, ſagas toto corpore expilandas; quaſi Dæmones ex lendium

pro-

progenie ſint, qui niſi pilis adhæreant, mœrore contabeſcant. nolunt religioſi homines, torturam repeti, quod legum Canonumque præſcripto prohibeantur; ſed dummodo fallaci verborum ſenſu legi illudant, doloſâ & ancipiti methodo, non verentur aſſerere, *non licere torturam repeti, continuari licitè poſſe, etſi per dies aliquot ſuſpendatur*; hoc inepto prætextu in reos tamdiu cruciatibus ſæviunt, quamdiu vocem quam omnimodè quærunt expreſſerint; ſed ſi patientis vires triplici illâ lanienâ non exhauſerint, novum ſupervenientis indicii commentum nunquam deficit, cujus ſubſidio immanis illa laniena in infinitum protrahatur.

Mall. Malef. tom. 3. q. 15. tit. de contin. qu. Binsfeld. in Comment. ad tit. C. de Mathem. concl. 14.

His artibus legi etiam Romanæ expreſsè illuditur, quæ crimen quodcumque graviſſimum, nedum præſumptiones & indicia toleratis ſemel aut iterùm torturæ doloribus purgari voluit.

L. quæſtionis modum. ff. de qu.

Denique, ut verbo dicam, majori ſollicitudine in obſcuris & imperceptibilibus veſtigandis utuntur, quàm ipſimet Deo placuerit nec in veteri nec in nova lege, innocenteſque nocentibus communi periculo, invito ac reclamante divino Legiſlatore implicant.

Certè, ſi de Republica Chriſtiana minus ageretur, poſſent diſcreto ſilentio tot à recto juſtitiæ tramite devia tolerari; ſed ubi quicquid innocentium ubivis gentium degit continuo vitæ facultatumque diſcrimini ſubjacet, deploratæ crudelitatis eſſet, eorum ſubſidio quemquam defore, qui norit quò denique tranſverſos agat intempeſtivæ pietatis aut juſtitiæ ſtudium. Totus igitur hac in diſceptatione rationis cardo vertitur, ut quiſque noſtrum bonum illud publicum, quo nos invicem aut uſum aut abuſum torturæ fulcire nitimur, in retinenda vel explodenda naturali æquitate legiſque divinæ ac juris antiqui ſancitis perſpicuis explicet argumentis. Hoc ſanè ex divinæ legis expreſſa auctoritate, Doctorumque Theologorum placitis luce meridianâ clariùs evicimus; idque ut in compendium redigam ſic ediſſero. Expedit ut flagitia atrociora innoteſcant, eorumque vindicta à noxiis petatur; at communi bono fortiùs expedit quemque ſuâ tutum eſſe innocentiâ; ſed quùm torturæ fallaci ac tyrannicæ convictioni locus relinquatur adulterandæ veritatis, ſaluſque

que innocentium perpetuo discrimini subjiciatur; ex præcepto divino præstat inscrutabilia crimina judicio divino relinqui, quàm Paganorum modis immanibus ac mendacibus anomalisque processibus tamdiu bonorum sortem malorum periculis implicari.

Denique si quis traditam Judæis legem pridem exolevisse nobis oggerat, fatebor ingenuè à Christi morte legem Mosaicam, quoad Hebræorum Cæremonias, circumcisionem, puta, Sabbatorumque solemnia, exolevisse, &, si ulteriùs urgeant, etiam quoad præcepta moralia judiciaque, quatenùs Mosis præcepta, defecisse concedam; sed legem illam in casu nostro, & in his in quorum confirmationem & robur inconcussum ejus auctoritate usi sumus, etiam nunc vigere constanter asserimus: Primò, quia quicquid ex illâ protulimus, juri naturali perpetuo & inalterabili innititur, ac proinde in lege nostra Evangelica confirmatum est, quæ juri naturæ legum divinarum basi, pariter innititur. Secundò, quia lex antiqua, quoad criminum etiam gravissimorum & atrocium probationem, quâ

D. Thom. q. 98. art. 5. Sol. de just. & jur. lib. 2. q. 5. art. 3. & passim omnes.

Matth. 18, 16. de agitur, à Summo Legiſlatore Chriſto verbis expreſſis confirmata eſt; Joan. 8, 17. quod verò ad torturam attinet, fateor divinæ legis auctoritatem ſolum eſſe negativam; ſed non inde ſequitur minùs à judiciis excluſam, quod expreſsè non reperiatur excluſa; ſufficit enim ut prævidenti omnia Deo in legitimis probandi cujuſcumque flagitii modis incluſa non ſit ut perpetuò excluſa cenſeatur; quùm ipſo etiam Romano jure *incluſio unius ſpecifica, alterius non expreſſi excluſionem denotet & importet*; quumque divino utrique legum veteris & novæ promulgatori non aliter ad criminum probationem quàm legitimis teſtibus procedi placuerit, quis neget hoc divini juris effatum cunctis humanis argutiis eſſe fortius ac antiquius? Hoc & in præmiſſis luce meridianâ clariùs evicimus, idemque pleniùs ac uberiùs ex abundanti in ſequentibus evincemus.

PARS

PARS II.

Proœmium.

QUemadmodum impietatis ſuſpicione non vacaret quiſquis ſeverioris ſententiæ in præmiſſis auctores & ſectatores expreſſo nocendi ſtudio ferri arbitraretur, ita nec humanitati ex æquo conſuleret, ſi quis de nobis cæteriſque mitioris ingenii viris malè ſuſpicaretur, quod juſtitiam ad tutiorem methodum in occultis criminibus indagandis redigere ſatagimus. Malorum geniorum eſt ſagarum impunitati proſpicere. Diabolo nequiorum eſt iis etiam delectari, quæ ſceleſtæ mulierculæ Cacodæmonum operâ ſolo conſenſu in genus humanum moliuntur. Quiſque noſtrum, huic ad maleficæ hominum ſectæ juſtum exterminium ſtudium ſuum intendit, inde, ut ſecuro adeò tramite in exigenda criminum vindicta incedamus, ut ne periculum innocentibus creetur communi ſupplicio cùm nocentibus implicitum iri Contumeliis invicem tanquam miſſilibus uti, non

ratiocinantum eſt; atque adeò quacumque livor ille contumax ſteterit, illic perturbationem cæcoſque animi motus rationis incapaces licet agnoſcere. Aut vanus ſuperbientis ingenii tumor, arroganſque ſibi nimiùm doctrinæ faſtus, cui plerumque ſubjacent viri aut munere fortunæ aut eruditione conſpicui, clarioribus judicii facibus offundit caliginem, tantùmque ſibi prærogat, ut Pythagoricâ tyrannide, magiſtrali ſupercilio nobis, ceu aſſeclis in Magiſtri verba jurantibus, ex ſuggeſtu dogmata præſcribat. Nos verò omiſſis dicteriis, divinæ naturaliſque legis ſequamur oracula, quibus quæ in iſtis judiciis amplecti debeamus ſatis ſuperque edocemur. In promptu ſunt & divini juris dogmata, & ſummi Legiſlatoris exemplum, quo diſertè jubemur, in dubio mitioribus uti conſiliis. Non extendamus odioſa, quæ jure etiam humano reſtringere præcipimur. Ac primùm videamus quid in his ſentiant, qui complices ejuſdem flagitii in teſtes admittunt, cruciatibuſque veritatis organum attribuunt; quùmque Judicum Quæſitorumque prudentiam, ubi ratio deficit, ceu ſa-

cram anchoram appellent, ita demùm eâ utamur in iſtis anguſtiis, ut imminentes utrimque errorum ſcopulos vitemus incolumes.

CAP. I.

Præmiſſorum hactenus Anacephaleoſis.

SI quis à quolibet contraria ſentientium rigoris ſui momenta repetat, nec modus nec finis labori aderit. Sufficiat cuncta ſimul ex Jacobo Auguſtodunenſi colligere, quandoquidem quicquid ex legis & anomali proceſſus in criminalium doctorum libris ſparſum eſt, laborioſo compendio collegit, judiciique capitalis normam & formulas nobis obtruſit, In primis fatetur ingenuè complicum delationes manifeſto falſi vitio laborare. Judices iniquè agere qui talibus fidem adhibeant. Malum maleficii ſemel convictum, ſemper malitiæ mendaciique reum præſumi. Infamiæ notâ dehoneſtata mancipia ſemper à vero aliena teſtari. His ita præmiſſis, quicquid ex divinæ legis effatis, æquitateque naturali aſtruxit, id totum momento convelli patitur ſolo publici

Incredulité ſcavante & crédulité ignorante Part. 2. Diſcours. 25. ch. 2.

blici boni respectu, criminumque atrocitate. Exceptiones illas humanæ majestatis privilegiis fulcire nititur; quamvis de jure divino sola per testes integros probatio in quovis crimine absque distinctione præcipiatur.

His falsis fundamentis veriùs solidiusque bonum publicum opposuimus auctoritate divinâ & humanâ, rationibus efficacissimis ac continuo experimento probatum; conservationem, inquam, & incolumitatem innocentium, tot quotidie vitæ periculis expositorum, infamium testimoniis torturæque mendaci confessione. Ad secundum contrariorum fundamentum perspicuè convicimus, nullam paritatis rationem convenire probationi criminum sensibilium, & quorum vestigia remanent, cùm flagitiis sensibus imperviis, ac Dæmonum præstigiis plerumque obnoxiis, quibus nec ipsa Rei confessio nec consciorum infamium delationes & indicia fidem integram concilient; Denique quid inter humanam divinamque majestatem intersit explicavimus, neque illam cautionibus adeò periculosis, nec ad ejus tutelam aut vindictam neces-

necessariis indigere, quæ mortali & passibili majestati conveniant; imò contrariam nobis criminum quantumvis atrocium probationem jussu suo sacris legibus indictam. *Deut.19,15.*

His rationum evidentium momentis vehementer adducor ut sentiam, nihil quod solâ hominum auctoritate fulciatur, opponi posse; Expedit humano generi crimina vindicari; quis neget? Sed vehementiùs expedit, ut quisque tutus sit innocentiâ suâ. Interest quidem reipublicæ, mala possibilia supplicio flagitiosorum præveniri; sed longè satius interest, ut ne fallaci cautione innoxios dubio crimine oppressos ad mendacem confessionem cruciatuum immanitate redigamus. Majestas certè Deo, ut & mortali Principi competit: quis hoc neget? Imò solius esse Dei sollicitor ut arbitrer; sed non inde sequitur, divinam illam ineffabilem ac impassibilem Majestatem iisdem, quibus mortalis potentia, subjacere periculis. Sanè qui majestati divinæ mortalis potentiæ privilegia communicarunt, utramque sæpius confuderunt, hominibus immortalitatem, Diisque suis humanæ fragilitatis vitia tribu-

entes.

entes. Quid mirum, si confusis rerum terminis Idololatræ Romani juris interpretes diversis adeò potentiis easdem cautiones adhibuere? Certè Tribonianus ille, primarius legum Romanarum digestor, Justiniano suo immortalitatem tribuens, ad eadem jura Jovem suum ascivit, eique singulari beneficio mortalis potentiæ privilegia communicavit. Sed quid impassibili rerum moderatori cautionibus legi suæ repugnantibus opus est, ut potentiam suam à mortalium conatibus vendicet? sanè laudabili studio cultui majestatique divinæ consulimus, si quando mortalis audacia à debitis obsequiis deficit; sed ab inutili conatu expresse prohibemur dum salus innocentium curis supervacuis in apertum discrimen adducitur. Munus igitur ac officium nostrum his cancellis coercetur, ut nihil in jus vocemus præterquam quæ sensibus captuique nostro subjiciuntur, illaque solo testium fidedignorum testimonio, convincenti, inquam, probatione datum est indagare. Ab hac probatione divinus ille nomotheta vocem mendacii suspectam, ut sunt cruciatibus extorta testimonia, ipsasque

Aimar. Rivall. histor. jur. civil. lib. 4.

Hesych. Illustr. de philosoph. & sophistis. Tribonianus (inquit) Justiniano Imperatori adulans, ei persuasit non moriturũ ipsum, sed unâ cũ corpore raptum, cælo immigraturũ; erat autem Paganus & impius.

que

que tortorum confessiones exclusit, nullamque flagitiorum quantumvis atrocium cognituve difficilium speciem ab hac generali methodo excepit.

Mihi certè cùm contrariis convenit, nulli crimini quàm sortilegio indagando majorem sollicitudinem Quæsitoribus adhibendam. Sagasque & sortilegos latronibus & perduellibus æquiparandos, quandoquidem malis geniis in procurandâ hominum pernicie cooperantur; sed sola denunciatione complicum, aut intestabilium testimonio id effici non assentior, neque adeò reum quemlibet vulgi susurris obnoxium, hisque laborantem indiciis hanc notam jure merito contrahere, subjicive exlegi processuum methodo. *Majoris est precij vita hominis* (inquit alicubi Neotericus scriptor Augustodunensis) *ut unius sinistro testimonio ad libitum periclitetur; sed tanti sunt plerumq; torturæ cruciatus, ut innocentes sæpissimè se noxios proferant, dolorumq; ipsa morte atrociorum finem honoris vitæq; suæ jacturâ volentes redimant.* Atqui, si vita hominis extra unius testis quantumvis integri aleam posita est, hoc ipso neoterico probante, (nam hic

Credulité ignorante, partie 2. Discours 25. chap. 11.

hic de teste integro loquitur) quantò justius periculum illud fugiendum est, quùm testis juris & facti infamiâ laborat? in eo enim crimine cujus complex est, aut legitimè convictus est, aut cruciatuum rabie, ad vocem mendacii, ut divinæ leges loquuntur, id est, ad falsam confessionem adactus. In primo casu sacrilegus est, atque adeò generis humani lethalis inimicus, eoque nomine nullam fidem meretur, etiam in criminibus exceptis; ex pacto enim quo se Cacodæmoni devovit, capitali odio in humanam perniciem grassatur. Sed si tormentis adactus, quamvis innocens, falsò de se fateri coactus est, eo casu nunquam nocturnis illis congressibus interfuit, neque quemquam in illis aut nosse aut vidisse potuit; sed si regerant adversarii, possibile esse hunc de se & de aliis confitentem, quamvis cogente cruciatu, legitimè convictum esse, adeoque jam pœnitentem, à facescendo innocentibus periculo sibi temperaturum. Respondeo nullam dari securitatem quâ ne moraliter quidem constet de corpore delicti de quo agitur, quùm Theologis omnibus conveniat, malos genios quandoque innoxio-

Cuman. in lucern. Inquisit. n. 13. in fin.

Petr. le Sobier l. 2. de spectr. c. 5.

xiorum phantaſmata, ſive in ipſis orgiis, ſi quando realiter exiſtant, ſive in deluſâ ſagarum phantaſiâ poſſe fingere.

Tanner. Tom. I diſp. 5. q. 6. dub. 7. & Tom. III. de juſt. & jur. diſp. 4. q. 5. dub. 2. n. 4.

Divino igitur judicio relinquenda ſunt quæ nequit humana ſolertia, abſque innocentum periculo inveſtigare; quòd ſi qui nocentes à judiciis humanis impunes elabantur, nihil inde divinæ majeſtati diſcriminis aut diſpendii creabitur; quùmque omnes exlegum proceſſuum aſſertores, ſeu Theologi, ſeu Juris utriuſque interpretes in hoc concordent, ſagas & ſortilegos nihil abſque Dæmonis miniſterio poſſe ſupra naturam, neque hunc abſque divina licentia, hancque nunquam concurſu phyſico adeſſe maleficiis, niſi melioris eventus intuitu, aut ut juſtorum virtus clarior per hæc tentamina evadat, ſive ut abſtruſiora crimina pœnas ſuas in ſortilegis inveniant, neceſſariò ſequitur flagitioſum quemque non exploratum, atque hactenus ſuppliciis exemptum, juſtâ Dei providentiâ in maleficiis coërcitum iri, quùm Deus ipſe ſit hominum dæmonumque moderator & Dominus, ac proinde momenta illa ſpecioſa à bono publico petita potio-

ribus momentis ac rationibus expungantur.

Illud in primis animadversione dignum est, omnes qui periculosas nobis processuum à communi lege recedentium normas invexerunt, profano plerumque studio in propugnandis abusibus incalescere; quis enim partes unquam conciliantis agens, aut æquitatis assecla ab iracundis Spinei torturæque fautorum dicteriis sese subduxit. Horum antesignanus, scriptorumque omnium audacissimus Bodinus, in proscindendis sententiæ suæ adversantibus nullo sibi moderamine temperat. Nec à Sacerdotibus, nec Parrochis, neque adeò à summis Pontificibus abstinet; ex quibus innumeros sortilegii arguit, corruptis etiam Platinæ Panninique testimoniis; quodque mireris in homine cæteroquin multâ rerum scientiâ imbuto, fidem suam fabellis quantumvis anilibus accommodat, quicquid impium inhumanumve sævioribus excidit, suffragio suo confirmat, Processus omnes exleges admittit; quin imò per fraudes falsasque subreptiones & gemitus confessiones reorum expiscandas consulit: Reales ex bru-

to in hominem ex homine in bruta animalia transformationes potestati Dæmonum attribuit, Ovidii Virgiliique fretus auctoritate: sacros Codices in Nabucodonosoris metamorphosi falsò interpretatur; Concilii Ancyrani fidem convellit, negantis Dæmonum esse, formam substantialem in animalibus mutare; Demùm, contra leges ipsas divinas Christianaque dogmata, non erubescit asserere, Mendacium de jure divino non reprobari: sacris Codicibus imponit: Ecclesiæ sancitis abutitur, cæcoque in sagas & sortilegos impetu invectus, ut Joannem Vierium ad maleficia naturalia sagarum veneficia reducentem contumeliis proscindat, Vierium ipsum in omni hæreticæ pravitatis errore longe prætervectus est; nempe eò tandem adigit ambitiosa contentio, quæ alienæ auctoritatis æmulatrix, ut sententiam suam alterius ruinâ astruat in prærupta quæque plerumque prolabitur. Nec Vierius ipse causæ quam propugnandam susceperat, meliùs patrocinatur, quamvis innocentum per Germaniam promiscuè cum sortilegis pereuntium vices miseratus eorum patrocinio se accin-

xerit. Auctoritati enim divinæ legis obliquâ interpretatione refragatur, dum negat esse sagas & sortilegos; nec, si sint, capitali supplicio damnandos, quùm solùm ex superstitione aut illusionibus peccent; sed neque Bodinus feliciore conatu laxioribus interpretum calculis astipulatur, dum ipsum etiam Dæmonem ex energumenis loquentem in testem admittit, vocemque mendacii adhibet in extorquendis reorum confessionibus; nam etsi hunc errorum mutuatus est à Mallei maleficorum auctoribus, his expressis verbis loquentibus: *Hoc primò procuret (Quæsitor) quod humaniter in potu & cibo tractentur, & interim intrent honesti & non suspecti, qui etiam de diversis impertinentibus ei colloquentur, & tandem, ut confidenter consultent, quod fateatur veritatem promittendo quòd Judex sibi faciet gratiam, & quòd velint esse tanquam mediatores; & in finem hujus rei intrabit Judex & promittet facere gratiam, subintelligendo sibi aut reipublicæ in cujus conservationem totum quod fit est gratiosum;* nimiùm tamen tribuit licentiosæ laxitati Theologorum Inquisitorum, quæ sanè nunquam sanioribus Theologis probabitur.

Part. seu Tom. III. qu. 16.

Quic-

Quicquid horroris incutiant humanis animis ſortilegium, hæreſis, parricidium, cæteraque atrociora flagitia non inde ſequitur divinis legibus ſancitam probandorũ criminum methodum ad mendacem torturæ aleam poſſe reduci, ſalutemque cujuſvis de crimine inquiſiti tanto diſcrimini ſubjiciendam; qùum enim ſit exploratæ veritatis dogma, nutantem ac imperfectam probationem nutante aliâ probatione non expleri, quâ, quæſo, rationis ſpecie ad atrox infameque hominis ſupplicium deveniatur, ex ſolò teſtis unius aut alterius infamis ſeu torti indiciò, idque in rebus Dæmonum præſtigiis adeò obnoxiis, nullo corpore delicti exiſtente, nec remanentibus ſenſibilibus veſtigiis, ſolo accedente confeſſionis ſupplemento per tormenta expreſſæ?

Mart. Delr. Diſq. Magic. lib. 5. ſect. 5. n. 4. L. fin. C. de accuſ. c. veniens extr. de teſt. l. ſicuti. C. de qu. Bald. conſ. 259. lib. 1. Fann. qu. 37. n. 58. & qu. 36. n. 68.

Sit crimen quantumvis atrox, ſit probatio quantumlibet ardua & inacceſſa, non inde cuiquam oculato cordatoque judici probaveris ſi quid divinis legibus æquitatique naturali repugnat; quantò enim gravius flagitium in judicii aleam deduxeris, tantò clariore probatione indiget,

c. ubi periculum. de elect. in 6. Rimin. jun. cons. 361. n. 32. col. 3. Farin. q. 37. n. 88. Bart. Spin. Apolog. 2. in Ponzinib.

quùm gravior ex irrogando ſupplicio conſletur infamia, majorique pœnæ ſubjiciatur innocens torturæ mendacis teſtimoniis falsò convictus. Huic inveterato errori ſic ſuffragatur proceſſuum anomalorum apologiſta. *Princeps* (inquit) *ſæcularis, quoſcumq; ſibi ſubditos capitali ſupplicio addiceret, quos ſortilegus quiſpiam in congreſſibus illis nocturnis conſpiraſſe in ejus majeſtatem revelaret.* Hanc inductionem Neotericus ſcriptor adeò probavit, ut illam tribus in locis *inſciæ* ſuæ *credulitatis* inſeruerit. Idem Martino Delrio contigit in diſquiſitionibus ſuis magicis, adeò ut Principibus ac Judicibus laïcis vice improperii illud oggerat, non ſine animi ſibi plaudentis elatione.

Apolog. paſſim.

Sed quicquid illud ſit, certè ex falſo ſuppoſito concluſio aſtruitur illegitima; nunquam enim cordato Principi, ſeu Trajanum ſeu Theodoſium mavis, indicium præſtigiis Dæmonum obnoxium quicquam terroris injecerit. Sed eſto Tiberio, Neroni aut Domitiano cuipiam injecerit; quid inde elicias? Licere Principi ſeu Chriſtiano ſeu ſenſus integri, turpiſſimo exemplo inſiſtere, judiciumque teme-

temerarium mordicùs arripere, ut inde ſæviſſimo cruciatui ſuſpecti aut inviſi cujuſque ſalutem in diſcrimen rapiat? quod ſi quid ſimile quandoque majeſtas humana ſibi vendicet, non ideò ex pari ſequitur, divinam majeſtatem cladibus inviam, humanis auſibus intemerandam, cujuſvis periculi expertem, profanis his ac violentis cautionibus indigere.

Nec ipſe Bodinus, quicquid de ſe præſumat, eò projectæ audaciæ provectus eſt, ut aſſerat confeſſionem cruciatibus extortam, ne quidem ad aſpectum torturæ apparatuum, pro legitimâ reputari; ſolâ enim Tortorum tormentorumque ſpecies oculis uſurpata non mediocris tortura eſt, quæ menti humanæ ſemel impreſſa, conſtantiam viri fortioris expugnat, animum ex naturali ſede dejicit, ſtatum omnem rationis perturbat, ac quantumvis innoxium adigit, ut ſe, falſum fatendo, à dirioribus ipsâ morte cruciatibus quantociùs eximat. Ego ſanè ſortilegos omneque nocentum genus odio, quo Chriſtianum crimen odiſſe par eſt, proſequor; ſed ingenuè fateor, me nunquam pro legitimè confeſſo habiturum, quem do-

lores humanis viribus impares ad confitendum adegerint. Quumque vix negari possit Cacodæmonem torturæ auctorem ac inductorem esse, quandoquidem nec in veteri, nec in nova lege Deus torturæ meminerit, nec Prophetis, nec amicis suis unquam ejus usum, nec Levitarum organo, nec populi sui Regum Judicumque ministerio, nec per somnia, nec per revelationes suggesserit; imò quùm probationem per solos testes legitimos in quocumque crimine etiam atrocissimo præceperit, necessariò sequitur, torturam sub voce mendacii comprehensam à judiciis divino jussu explosam ac rejectam.

Unum est quod præ cæteris in Bodini placitis stupeam, hominem Mosaicæ legis divinorumque codicum rimatorem, ut ajunt, Cabalisticum, divinas sanctiones, quæ nunquam torturam ad probanda crimina admiserint, humanæ auctoritati, profanæque judiciorum methodo non prætulisse; quin imò contraria duo ex Bodini ejusque similium placitis elicio: Unum, quòd cruciatibus immanissimis vocem mendacii semper suspectam, contra divinæ legis præscriptum

ptum exprimunt: Alterum, quod unius teſtis ſuffragio ad capitale ſupplicium reum adigunt, ſpretâ divini humanique juris auctoritate, quæ duos ad minus omni exceptione carentes exigit; cui enim cordato fidem feceris, ſi dicas, confeſſionem tormentis extortam probationem eſſe legitimam, aut probationis infectæ ſupplementum; nec plus fidei feceris quàm ſi dicas, patientis ſilentium, novum pactæ taciturnitatis indicium Quæſitori exhibere. *Magni dolores* (inquit Seneca) *ſilent, parvi loquuntur.* Luctus ingens communes affectus exuperat, vocemque ac fletus animis noſtrís non indulget. Nullum ex illís tormentis quæ nobis Horatius & Cicero comminiſcuntur non eodem quo tortura pede claudicat, nullamque fidem æquo judici unquam fecerit. Nec vinum nec ira veritatem exprimunt, animum enim noſtrum tenebrrs præpediunt, quibus involutus, nihil aliud ſatagit, quàm ſtolidas aut temulentas aut coactas voces in ſui ſolatium effutire; Atqui, ut temulenti aut furioſi teſtimonium jure repellimus, idem planè cenſendum eſt de voce mendacii convictiſſima

quod nihil eſt ſupplementum non recipit. l. ſed ſi manente. ff. de prec.

epiſt. 8. lib. 1. ad Lollium

Commiſſumq; teges & vino tortus & irâ.

Tull. in Top. ad Trebat.

quam immensi cruciatus à miseris tortis exprimunt.

Humanæ certè controversiæ affectibus potiùs, quàm ratione plerumque constant. Quod viro de se superbè sentienti semel excidit, quantumvis à veritate devium, pertinaci contentione defenditur. Hoc manifestè deprehendimus in torturæ processuumque anomalorum assertoribus; quippe qui, quod semel dixerint, invincibili contumaciâ tueantur. Nec desunt qui æquæ moderationis sectatores, sortilegos & hæreticos vocitent, minacesque tantùm non in jus vocent. Sed Apostolo monente discretio spirituum facienda est; quùmque se Satanas quandoque in lucis Angelum transfiguret, quid ni sub pii studii larvâ incautioribus obrepat, ac ad atrociora quæque pietatis & justitiæ prætextu nos adigat? Sic nempe in moralibus comparatum est, ut extrema mali boni species occupet, amboque invicem confusa, plerumque eosdem sortiantur effectus. Hinc Lucretio Epicureo sine novo crimine potuit excidisse, *religionem immodicam scelerosa atq; impia facta non semel peperisse.* sapientis est de aliena intentione rectè

Corinth. 14, 29. 1. Thessal. 5, 29.

T. Lucret. de rer. nat. Lib. 1.

ac

ac probè ſentire, ne ſcilicet, ſi quid in alterum temerè ſtatuerit, eodem ſeſe ſummittat judicio. Solius Dei eſt univerſam hominum ſpeciem delere atroci quopiam flagitio inquinatam, quòd ſolus abſque dubio novit, an omnes eodem crimine teneantur, neque unquam innocens injuſti ſupplicii aleam ſub tanto Judice ſubeat. Clarum hoc & exploratum ſacra nobis pagina indicat. Jurato Sodomorum *Gen. 18,32.* excidio innocentis Lothi familiæ conſuluit; cæteriſque peperciſſet, ſi tot inter nocentes decem innocuos reperiſſet. Genus humanum generali *Gen. 9,11.* quondam cataclyſmo delevit; ſed paucos, quos innocentes noverat, ſervavit incolumes, pollicitus inſuper ſe in poſterum nunquam in totam hominum ſpeciem animadverſurum.

Et cunctos quidem illos idololatras, *Joſue. 1.* quorum terras Judæis deſtinaverat, excidio delevit, quia turpiſſima populi flagitia in totam gentem adoleverant. Sub diverſis nominibus mali genii divinos honores apud perfidos uſurpaverant, teterrimaſque impietatis ſpecies fuco religionis ſeductis obtruſerant; hinc idololatriæ paſſim in omnes mortales quondam diffuſæ

diffusæ excidium; sed si totius in gente humana maleficii extirpandi studio ducti Quæsitores sortilegii, in genus humanum sine missione sæviunt, procul dubio Angeli illius auxilio indigent, qui una nocte ingentem Assyriorum exercitum occidione delevit. Hujus subsidio armatis in Danos, Suecos, cæterosque plagæ frigidioris accolas generali internecione opus est, quùm in illis exercitibus vix unus inter decem inveniatur, qui malefico aut superstitioso carmine aut amuleto non utatur. Italis sortilegii Quæsitoribus eadem necessitas incumbit, ut excisas universæ Italiæ sylvas in pyras congerant, quibus sexum muliebrem, plerumque omnem, in cineres redigant, quòd philtris æquè frequenter in amasios utatur, ac lixivio ad capillos suos flavo colore inficiendos.

Reg.4,19. 35.

Quicquid tamen Olaus Magnus Saxoque ille Grammaticus de sortilegis suis nobis prædicent, non in tanta frequentia sortilegium ac formalis apostasia apud Teutones pullulat; & Bodino quidem hæc hæresis insevit ex malè intellecto sacræ paginæ sensu, quâ parte sacri Judæorum Vates omne

Caut. crimin. Dub. 2. in princ. Olaus M. rer. Septētr. SaxoGrammat. & alij passim. Bodin. Demonoman. lib.2. c.5.

mne malum à Septentrione minantur; ſed de Teutonicis ſeu borealibus ſortilegis Prophetæ, quòd cenſeam, nunquam calamitates illas augurati ſunt, quas genti ſuæ portendi vaticinati ſunt; quin imò de Aſſyriis, Perſis & Medis potiùs intellexiſſe arbitror, quas gentes Judæa à Septentrione conterminas, in ſui perniciem toties experta eſt. Credo equidem gentes Teutonicas cæteraſque boreali cardini affines vanis plerumque religionibus Dæmonumque præſtigiis, ſupra meridionalis plagæ accolas, mitioraque mundi climata, proniùs ſubjacere; ſed hoc efficit gentis obtuſior indoles, & Dæmonum verſutiis magis obnoxia; ſed quæque ſit in Germania ſortilegorum frequentia, nunquam in animum inducam, gentes boreales majoribus flagitiis obnoxiores, quàm quæ ſublimioris ingenii callidâ temperie, dolis ac vafritie ad majora quæque crimina erudiuntur. Plus ſanè negotii arbitror malis geniis apud animos doli mali plerùmque incapaces, quàm apud verſipelles, ſolertiſque ingenii populos. Vanis quidem ac inanibus rerum ſignis rudiores populos à veri numinis cultu aver-

avertunt, ſed ne milleſimum quidem ex tot incantatis invenies, qui verè ſortilegus audiat, formalive apoſtaſiâ à Deo ad malos Dæmones deſciverit. Hoc tantùm agunt tenebrarum genii qui frigidis gentibus inſidiantur, ut eas, atrociorum ut plurimum criminum incapaces, ſuperſtitioſis credulitatibus irretiant; ſagas quidem & ſortilegos, ut plerumque alibi, in erroris barathrum præcipitant; ſed plures fatua vulgi præſumptio Quæſitoribus mancipat, Quæſitores tyrannico cruciatuum abuſu ſolo nomine conventos ſortilegos ad injuſta ſupplicia adigunt. Sed noſtris temporibus quibus primæva illa barbaries Evangelii luce bonarumque artium culturâ plurimum exolevit, credibile eſt potiorem majoremque borealium gentium numerum qui à ſortilegio abhorrent divinæ vindictæ ſupplicia à probis arcere & in improbos convertere.

Per me ſanè lubentiſſimè liceat & in Germania & ubicumque gentium legitimè convictos ſortilegii ſancitis à divina lege ſuppliciis ſubjici, nec quemquam Chriſtianum aliter in ſortilegos animatum ſuſpicor. Sed ut

divi-

divinæ legis judiciorumque integritati ſatisfiat, ſoli teſtium fide dignorum teſtimonio inhærendum eſt, & à communi Germaniæ errore recedendum, quo nihil teſtibus quamvis integerrimis tribuitur, niſi reus proprio ore crimen fateatur. Hinc frequens illa cruciatuum laniena, donec reum quemlibet quovis modo ad fatendum adigant.

Sanè in veſtigandis facinoribus, ſicubi unquam, moderatione opus eſt, ne ſupervacuo ardore iram incautè prolabamur. Nil juſtitiæ animi commotione pugnantiùs; adeò ut qui tali affectu nimiùm incaleſcunt, ex judicibus in tyrannos facillimè evadant. Sola delatio ſortilegii, parricidii, hæreſis, graviorumque flagitiorum, delatum reum non peragit. Non alio vultu quàm cæteri mortalium nobis intuendi ſunt, quamdiu de crimine ambigitur; nec in veſtiganda rei veritate à divina lege recedendum eſt, quâ cuncta crimina nullo excepto, ſolâ per teſtes convictione probari & veteri & novo Chriſtianorum jure ſancitur. Hac auctoritate tyrannorum, Paganorum ac Juriſperitorum privilegiis aſſentationibuſque de-

derogatum eſt; ſed neque quùm tandem de crimine conſtitit, Judex intentiore irâ aut ſtudio indiget ut legi ſatisfiat, quin imò, ex legum ipſarum præſcripto, pœna pro modo delicti ſancienda eſt.

Omnes quidem idololatras Arabiæ, Idumeæ & Paleſtinæ accolas Deus populo ſibi ſelecto delendos tradidit; ſed à cruciatibus abſtinuit, nec immanibus eorum pœnis delectatus eſt. Ex hâc potiſſimum ſævitiæ notâ barbaries in quaque gente dignoſcitur. In divinis legibus una pœnæ capitalis expreſſio eſt, *morte moriatur*; *illum non patieris vivere*; ſemel tantùm ſacro Nomothetæ excidit; *lapidibus obruent eum*; quæ ſupplicii ſpecies apud Hebræos minimis etiam delictis infligebatur. Sic nempè citiùs divinæ legi ſatisfieri arbitrabantur, ſontem pœnæ exemploque ad cæterorum emendationem dedenti, his verbis: *ut auferatur malum de medio tui*, non autem, ut exquiſitâ immanique barbarie patratum crimen, quod infectum, quavis crudeliore ſævitiâ reddi nequeat, in ſontes vendicarent. Quicquid truculentioribus populis Dæmones juſtitiæ prætextu ſuggeſſerint,

ut

ut flagitiorum finem malorumque emendationem suppliciorum atrocitate procurent, quotidiano rerum experimento compertum est, crudeles illas sontium lanienas vano ac inutili spectaculo flagitiosis objici; nempe quibus ex depravata indulgentis sibi naturæ indole spes impunitatis & nihilominus effugii blandiatur; ac tandem in pœnam induratæ nequitiæ, ultimum sceleratis perfugium est, paucis lethalis pœnæ periodis diuturnam criminum seriem ad ultimum se luituros. Ita Divinus criminum vindex, neci traditis omnibus Magiæ idolorumque cultoribus si quid luendum superfuit, in peremptorum animas sibi sepofuit exequendum.

Solent ut plurimùm sortilegii & majestatis Quæsitores delatorum custodiam à suppliciis auspicari. Jure quidem crimen odisse par est; reum non utique; quippe qui, quamvis aut inquisitus aut suspectus, nondum de flagitio convictus est; sed & postquàm de crimine admisso plenè constitit, lege non odio in illum agendum est. Citiùs ac faciliùs humanum genus, quàm sortilegium cæteraque delicta ab hominibus abegeris;

nec ipse naturæ conditor, quamvis uno ictu nocentes omnes delere potens, omnes supplicio subjicit, quin imò testimonio suo asserit, *necesse esse ut eveniant scandala* in justitiæ justorumque exercitium.

Math.18,7.
Luc.17,1.

Lib. 4. c. 1. Demonom.

Non ineptè Bodinus in Dæmonomania sua negat mitiùs agi cum sortilegis, si unicâ morte redimere cogantur mille suppliciorum species, quas sub crudelissima Dæmonum tyrannide quotidie patiuntur; non ideò tamen hæc à Bodino referimus, ut impune vivere sortilegii convictos censeamus; sed quùm maleficia omnia ex indurata Dæmonum nequitia ac humana peccandi proclivitate oriantur, nec utrorumque arbitrio Deus ullam vim afferat; quùm tamen possit ad libitum perversis eorum ausibus obversari, aut patrata pœnis debitis vindicare; ideò mihi planè persuasum est, fore ut si qui ex defectu legitimæ probationis supplicio eripiantur, divinam vindictam non effugiant, sive pœna eorum ex arcanis divinæ providentiæ differri visa sit, sortilegosque interim atrocissimæ Dæmonum tyrannidi in hoc sæculo relinqui, quàm aliunde humanæ sorti

cave-

cavere non desinat, ne quid detrimenti exinde patiatur, quòd nihil Lemures absque Dæmonum ministerio exequi, neque Dæmones absque Dei consensu possint, neque Deus injustum quicquam Diabolicæ nequitiæ indulgeat; si quid tamen ex arcanis providentiæ justorum discrimini aut tentationi permiserit, id totum secundùm cujusque vires, sanctorum gloriæ concessum juvat arbitrari, ut bonis ex probata virtute majus gloriæ pondus accrescat: malis, ut geminatis flagitiis majus supplicium jure paretur; quæ tamen omnia Deus quotidie multifariam justitiæ suæ tribuit, & tribueret, etiamsi nulli in naturâ rerum Dæmones, nulli inter mortales sortilegi reperirentur.

CAP. II.

Quàm latè porrigant sortilegii Quæsitores Demonum in magicis operibus potentiam.

SAnè de superiùs deductis, Theologis & Quæsitoribus torturæ fautoribus nobiscum tamdiu convenit, quamdiu de sola Dæmonum sagarumque potentia inter nos ambigitur;

ſed ſimul ac de torquendis damnandiſque reis agitur, poteſtatem Dæmonum in infinitum porrigunt, cancellorum quibus illam naturæ moderator circumſepſit immemores. His vanis terroribus à mente alieni, bonorum ſalutem in apertum torturæ diſcrimen præcipitant. Uſque adeo ne humanum genus armamur in mutuam perniciem, ut ſpretis quæ natura dederat ſecuritati noſtræ præſidiis, promiſcuâ clade ſontes innocentibus involuamus! Illane, quæ de occultis judicare ſe negat Eccleſia, ſacerdotes ab altaribus avulſos, cruentis miniſteriis adhibet, repetitiſque à Paganorum tyrannide cruciatibus, dum imperceptibilia rimatur, coactas voces, tot experimentis mendacii convictiſſimas, pro veritate reputat? Satin igitur incruento ſacerdotii miniſterio conſulitur, dum vana miſericordis animi ſpecie mendacii torturæ teſtimonio ad ſortilegii falſam plerumque profeſſionem adactos, Laïcis, ut ajunt, Judicibus capitalis flagitii convictos propinant? ſed Judæorum inſtar; *non licet nobis*, inquiunt, *interficere quemquam*; damnare tamen non prohibemur; vos ſuffragiis veſtris, quod ſupereſt,

pereſt, rogos accendite, tortores & carnifices adhibete, mortis, ignominiæ, confiſcationis ſententias agglomerate; ni potiùs (quod enixè rogamus, ex benignitate ſacerdotali) hoſtes generis humani à nobis torturæ miniſterio convictos mitiori ſupplicio dignos arbitremini.

Humana certè peroratio; ſed ſi talem in modum convictis ex antiquo Chriſtianorum more mitior pœna imponatur, in *Juriſtas* Binsfeldius cum Delrio maledictis accincti, humano generi perniciem certam à malis geniis ſagarum miniſterio apertè minitantur. Spineus in ſubſidium advocatur, qui in *Leguleios* & *fori rabulas*, ut Delrii contumeliis utar, ex arce Romani Palatii intonat, per Judices & Laïcos Principes ſpecie doctrinæ à nobis ſeductos hactenus ſtetiſſe, quominùs hanc peſtem ſortilegii, ut ab Italia hæreſes omnes, ita à toto orbe Chriſtiano exegerit. Exigat ſanè per nos licuit, & etiamnum licet, dummodò, præſtigiis nimiùm tribuens, Quæſitorum impetus, plerumque inconſultus, torturæ mendaci tyrannicoque teſtimonio innocentes ad falſas confeſſiones non adigat.

At urgent ſortilegii Quæſitores, malos genios, ni ſortilegi ſagæque planè omnes pereant, ſuſque deque terram verſuros. Hinc Delrius Theſſaliæ portenta uſque à fabuloſis heroïciſque temporibus repetit. Inde Binsfeldius ex Virgilio & Theocrito Alphiſibeum quendam nobis inducit, qui à Mæri venena Pontica, ſe accepiſſe glorietur, quibus armatus, ope Demonum Mœrim illum, utpote ſortilegum

P. Virgil. Pharmaceutriæ. eclog. 8.

- - - - ſæpe lupum fieri & ſe condere ſylvis
Mœrim, ſæpe animas imis excire ſepulcris
Atq; ſatas, aliò vidit traducere meſſes.

In Demonom. paſſim.

His continuò Bodinus aſtipulatur; quippe qui non de creatione ſolùm Dæmonum non erubeſcat ambigere, ſed & creationes ex nihilo, formarumque mutationes illis tribuat. Nonne hæc apprimè Chriſtianæ pietati conveniunt, ut crudeliſſimos cruciatus in eorum probationem advocemus, taliumque complices in teſtes ad capturam, ad quæſtionem & ad ſupplicium admittamus? Sanè quo tempore Virgilius, ſeu verè, ſeu poëticè, ex vulgi ruſticorumque placitis ſic

ſic loquutus eſt; quâ, inquam, tempeſtate duodecim tabularum cæterorumque idololatrarum leges omne jus in naturam malis geniis tribuêre, nullum præter Dæmones in orbe Deum noverant; At noſtris temporibus poſtquam à Chriſto Salvatore Dæmonum tyrannis toto orbe depulſa eſt, quis abſque idololatriæ aut impietatis crimine tantum licere Dæmonibus aſſerat?

Quis ferat hæc à Bodino circa torturam prolata, communiter à torturæ ſectatoribus uſurpari? *Sprangerus*, inquit, *ſortilegos ex levi tortura ſubjiciendos haud arbitratur; Mihi quidem contrarium videtur, præſertim ſi de puella aut puero aut reo imbecilli agatur; & præſumptiones violenter urgeant, alteros ſolâ tormentorum præſentiâ terreri, alteros tormentis quidem ſubjici, non tamen anus pertinacis & indurata nequitia.* En eximium prudentiæ judicialis modum; Enimverò quæ veritatis ſpecies ab imbecillis ſperanda ſit ad aſpectum horrendæ tortorum ſupellectilis, potiùs quàm contumax ab induratis ſilentium, quùm ambobus idem ex æquo diſcrimen impendeat, in illis, ut ne ſe innocentes pertinaciter aſſerant,

Demonom. l. 4.

ſpreto tormentorum cruciatu, aut ſenſu per naturalia aut præſtigioſa pharmaca ſive carmina obdurato, in iſtis, ne mortis timore perculſi, de ſe falſum fateri compellantur; quodque magis in hoc ſcriptore doleas, dum cæco in ſortilegii nomen ardore rapitur, non advertit excidiſſe ſibi quod aliàs ex legibus Romanis aſſeruerat, *torturæ præſentis metum oculis aut ſolâ mente perceptum ipſi torturæ æquiparari*; Atqui ſi propter infirmiorem temperaturam, quibuſdam vice tormenti, ſolus torturæ apparatus objicitur, quid ni cùm robuſtis ex æquò torqueri dicendi ſint, cùm in illis idem metus operetur, quàm in illis ſæviſſima tormentorum carnificina.

Lib. 4. Demon. c. 4. L. metum autem. ff. de eo qu. met. cauſ.

Altero quoque ſtratagemate Bodinus ad omnimodas confeſſiones graſſatur; ex quo cuivis pateat qua fide, quo humanitatis ſenſu in his quæſtionibus verſatus ſit; *ſed ſi fateri nolit* (inquit immanis tortor) *falſa à complicibus flagitia in illum congeſta ſupponenda ſunt; forſitan & ille vendicandi animo eadem crimina in illos regeret, iiſdemq; indiciis in eos invicem graſſabitur; hæc omnia* (addit autor ille temerarius) *jure humano divinoq; licent*. Hoc ſcilicet pietatis

Lib. eod. circa fin.

tatis eximiæ moderamine in his exceptis processibus divinæ majestatis honori consulitur, spretis legum divinarum decretis; quis enim non stupeat, Bodinum cæteroquin Judaicæ cabalæ addictissimum, totque sacerdotes & theologos pudoris professores, & à sanguine cædibusque temperantes, ab omni humanitatis sensu sese ad solum sortilegii nomen eximere, adeo ut in sexu pudori obnoxio, violatis pudoris legibus, arcanas quasque corporis partes rimari non erubescant, exploratrices bolides novaculasque pudendis impudenter adhibeant, quod genus tormenti puellarum adultarumque mulierum animis plus doloris admovet, quàm quivis torturæ cruciatus, sæpiusque ad fugiendas Judicum obscænas vestigationes, infamesque Tortorum contrectationes ad confessiones mendaces adigant; quæ tamen tormenta à Quæsitoribus inter tormenta non numerantur.

Quotusquisque illorum carceres, custodiæ duntaxat à jure destinatos, in pœnam non adhibet, contra legum Canonumque decreta, novisque cruciatibus, quantumvis pœnitentes in *L. aut damnum. §. solent. ff. de pœn.*

ſalutis diſcrimen deſperatione non adigit? Lex tamen divina maleficos morti damnatos communi duntaxat pœnæ addixit; Lapidibus enim apud Hebræos obruebantur; quod ſupplicii genus, etſi atrox Rabinis ſuis viſum eſt, omnibus tamen de levi quoque crimine convictis commune fuit; eadem enim morte filium patri non obtemperantem, puellamque violatæ pudicitiæ ream de medio tollebant. Ad quid enim barbari & inhumani ſupplicii protracti cruciatus, quùm in reo legitimè convicto aut confeſſo ac pœnitente miſericordiæ lenitatique locus ſit, aut in indurato nec pœnitente æterni cruciatus ſuperſint, quibus quod humano rigori deeſt abundè ſuppleatur?

CAP. III.

Sagis & ſortilegis complices indicantibus non credendum.

CÆterùm, præ cæteris proceſſuum exlegum abuſibus, probis omnibus deteſtanda eſt opinio quorundam Quæſitorum, extorta cruciatibus reorum indicia in legitimum teſtimonium rapientium. Convenit enim omni-

omnibus ſortilegii Quæſitoribus, omnibus Theologis, quantumvis theoricis, proceſſuumque exlegum vindicibus, non ſemper ſagas & Lemures ad nocturnos conventus in corpore transferri. Ita Bartholomeus Spineus quæſtione ſua de ſtrygibus, & in Apologiis ſuis paſſim. Ita Binsfeldius, in fine primi membri, concluſione decima tertia, in principio. Ita Tannerus tomo primo, diſputatione quinta, quæſtione ſexta, Dubio ſeptimo. Idem tomo tertio, diſputatione quarta, quæſtione quinta, Dubio ſecundo, numero quadrageſimo tertio. Ita demùm ipſe Bodinus Demonomaniæ libro ſecundo, capitulo quinto, ubi de Lycanthropis. Fatentur etiam poſſe Dæmones non ſagarum modò, ſed innocentum quandoque imagines faſcinatorum oculis exhibere; quin imò, poſſe in ipsâ dormientium phantaſia ſpecies rerum coacervatas ac in uſum memoriæ repoſitas ad libitum motu locali ciere & coacervare, concinnatâ interiùs & communi ſenſui objectâ abſentium figurâ. Ita Spineus in Apologiis, ita poſt illum Remigius, Delrius & alii communiter, ita demùm ante hos omnes Malleus male-

leficorum & ſagarum; ſed ſi hoc poſſunt Dæmones, ut poſſe communiter aſſeritur, cur innocui cujuſque ſpeciem ſagis & ſortilegis dormientibus in phantaſtica fictorum Conventuum imagine non exhibeant, ut eos denunciationibus ſagarum reddant obnoxios? nunquamne factum aſſerant? imò quî plura etiam præter communem hominum captum quandoque Dæmonibus ex divina conceſſione licere auſint inficias ire? quæ igitur ſagarum Lemurumque denunciationibus, teſtimoniis, indiciis fides adhibenda, quùm de ſeipſis plerumque neſciant an oculis reale quid, aut ſolâ phantaſiâ inanes ſpecies objectas uſurpaverint? *Scilicet* (inquit Tannerus ſupra citatus) *Deus tot alia eaq; immaniſſima ſcelera juſtiſſimis cauſis permittat*; *in hoc ſolo proceſſu adverſus ſagas, ſignato quaſi codicillo ſponſionem fecerit, non ſe permiſſurum ut innocentibus fiat injuria? Ridiculum igitur eſt hoc* (ait cautio criminalis contra Binsfeldii allucinantis laxiorem opinionem) *& mirum, hoc à viris cordatis dici*, quibus abſurdis Bodinus ut pro virili occurreret, eximio ſanè commento, *Sagæ*, inquit, *quum hæc videre ſibi videntur, animâ*

mâ tantùm congressibus illis præstigiosis assistunt, idq; datum Dæmonibus asserit, ut animas à corporibus humanis absq; compositi solutione abducant; sed hæc temerè licentiosus auctor, ut pleraque alia comminiscitur; in specie, quùm censet homines in lupos transformari, contra communem saniorum Doctorum sententiam, malis illis geniis ex Christiana disciplina id tantùm concedentium, ut sensibus externis humanæque phantasiæ illudant, objectis inanibus larvis, aut motis interiùs memoriæ speciebus inhærentibus.

Alio nec saniore commento Spineus sagarum indicia fulcire nititur. *Forsitan* (inquit ille) *quòd Diabolus in forma mulieris jacet veluti dormientis, ut homines circa realem translationem ad orgia in errorem inducat*, spectrumque fuisse quod Joannes Baptista à Porta Neapoli, aliique alibi palpasse manibus, lancinasseque sine jacentis sensu asserunt, postquam mulier venefica præstigioso ceromate inuncta, palam jacuit, seque corporaliter ad talia delatam ex pertinaci somno experrecta sibimetpsi imposuit, cæterisque vigilantibus & astantibus imponere nisa est; sed quicquid illud sit, argumentum

qu. de strygib. c. 31.

Idem Porta Magia natural. lib. 2.

tum illud *de posse ad esse* inter Logicos non recipitur; in re præsertim omnium gravissimâ, in quâ de honore saluteque hominum agitur; neque adeò satis mihi probatur, etiam si hæc quæ possibilia supponuntur, realiter evenisse constaret, quid inde comodi Dæmoni lucrive accresceret, quùm nō ideò veri sortilegii in illa muliercula nec in cæteris similibus opinionem destruat, etiamsi ad nocturnos illos conventus corporaliter non prodirent; non enim minùs sortilegii crimine tenerentur ex pacto quo se Dæmoni devoverunt, quoque ad tales illusiones excipiendas efficiebantur habiles, quàm si realiter in corpore ad Diabolicos congressus transuectæ essent; sed perinde falsitatis ac mendacii notâ testimonium sagæ tamdiu jacentis laborat; hincque adeò convincitur, ipsomet annuente Spineo, Dæmones & sensibus & phantasiæ, seu vigilantum, seu dormientum mavis, illudere posse; sit igitur cordati cujusque judicium quas Quæsitoribus larvas, quem fucum plerumque versutus hostis in bonorum perniciem obtrudat,

CAP.

CAP. IV.

Sagas ut plurimum ad orgia corporaliter non devehi.

EAdem ratione teſtimonium mulierculæ ſeu cujuſvis alterius ſortilegi refelli poteſt; etſi, juxta placitum illud quod Divo Auguſtino non probatur, quodque Divus Aquinas eo ſenſu quo ſupra interpretatur, poſſet Cacodæmon phantaſticam potentiam incorporare; quùm nihilo ſeciùs obnoxia præſtigiis manſura ſit organo ſuo naturali deſtituta, aëreoque corpori condenſato unita, ſi modò tantum Dæmonibus à Deo conceditur. Quod ſi ex adverſo regeritur tranſvectiones illas quandoque ſagas in corpore & in anima experiri, in promptu reſpondeo, Dæmonem in ſagarum oculos non minus poſſe quàm in phantaſiam poſſit, quandoquidem Spineus idem Dæmoni in bonos licere annuit, quamvis multo minùs in non ſibi ſubditos liceat, quam in ſibi devota mancipia; unde manifeſtè ſequitur, quicquid ex ſagarum teſtimonio indiciiſque prodierit, id totum Dæmonum illuſionibus

Barth. Spin. qu. de ſtryg. c. 11.

ac larvis involutum, quacumque ex parte perpendatur; ſed etſi ex ſuppoſito convenerit, tranſvectiones illas quandoque in corpore contingere, eadem ſemper ambigendi cauſa remaneret in hypotheſi; an ſcilicet in caſu de quo controverſia eſſet realiter contigiſſent, quùm fateantur adverſarii quandoque in ſolis præſtigiis conſiſtere; Illud verò nec ab ipſiſmet deluſis, quamvis falsò & coactè fatentibus an realiter aut illuſoriè contingant pronum eſt depræhendi; Spineo ipſo verbis ſequentibus nobis aſtipulante, *non eſt etiam negandum ſomnia quædam ſic eſſe limpida, ut ipſi ſomnianti verè vigilare videatur.*

Tranſvectiones illas atq; orgia opus eſſe deluſa à Dæmonibus phantaſia.

Scio ipſum eundem Spineum in Apologiis exlegum proceſſuum aſſeveraſſe, ſortilegii Quæſitores ex tota Germania ſagas omnes & ſortilegos jam pridem eliminaturos, niſi Principes, ut ajunt, *Laïci* tam piis conatibus obſtitiſſent; ſed firmiùs ſcio & ſanâ fide profiteor, niſi ſæculares (ut vulgus indigitat) Principes, ſanctumque Romanæ Inquiſitionis officium ſortilegii quæſtionibus modum adhibuiſſent, Quæſitores Malleo maleficorum inſtructos, proceſſibuſque anomalis

malis inhærentes, ex complicum indiciis, torturæ mendaciis, cæteroque in infinitum progressu, bonorum speciem omnem quacunque patet inquisitio, fuisse exhausuros. Enimverò, sistatur indicio complicum torturæque mendaciis, ausim dicere, nunquam tot martyres à tyrannis extrema passos, quot iñocentes ex processibus illis exlegibus & cruciatuum cruento ministerio suppliciis injustis in posterum adigendi sint. Sub hoc specioso prætextu malis geniis via latior patefacta est, quàm olim sub quoquam Nerone aut Diocletiano patuerit, quùm pietatis & justitiæ specie calumniis ac præstigiis impune in bonos moliri possit, quæcumque priùs tyrannorum ministerio falsæ religionis prætextu moliebatur. Quicquid ex adverso strepant sortilegii Judices anomali, non in malignum sensum torquenda sunt, quæ contra torturam processusque à jure communi naturalique recedentes proferimus; non enim sortilegorum scelestorumque patrocinium suscepimus, ut adversarii lividè criminantur, quùm aliunde ratione destituuntur; quin imò, ut cum Tannero loquar, famæ bonorum *De justit. & jur. disp. 4. q. 5.*

 salu-

ſalutique conſulimus adverſus Dæmonum inſidias, falſaſque ſagarum ac Lemurum delationes & indicia. Hoc Chriſtiano officio juris abuſibus maturè occurritur, eò nocentioribus, quò honeſtiore titulo prætexuntur, quoque uſus ejus laudabilior eſt; dum ſe legum humanarum divinarumque cancellis æquitateque naturali metitur & coërcet.

CAP. V.

An ſortilegium ex orbe deleri poſſibile ſit.

ETſi quæſtionum ſortilegii moderatores generali diluvio genus humanum, ut quondam, deleri à Deo expeterent, poſſetque, ſalvis Noæ promiſſis, petitioni rerum arbiter annuere; in hoc ſecundo Cataclyſmo neque arcam neque ullum ſoſpitem deberent admittere; alter enim procul dubio Camus ex paucis illis reſurgeret, qui, prioris ad inſtar, ſub Zoroaſtri nomine ſortilegium idololatriamque poſt diluvium repararet. Sanè nec ſortilegii nec cujuſvis alterius criminis origo exareſcere poteſt, quamdiu Dæmonibus per Deum licue-

cuerit hominibus insidiari, horumque arbitrio dabitur in malum aut in bonum consentiendi libertas. Regnum seu veriùs tyrannis Satanæ in peccato sita est; hoc autem hominis naturæ post primum ejus lapsum tam tenaciter adhæsit, ut vix ac ne vix quidem integra ac generalis tam depravatæ indolis justificatio speranda sit. A peccato Dei flagella in nos prodeunt; Horum executores plerùmque sunt mali genii; igitur etsi maleficii quæsitoribus malorum omnium exterminium concedatur, nisi simul peccatum ab orbe prorsus excinderent, Dæmones illicò quas norunt illecebris anceps hominis arbitrium ad quæque flagitia pellicérent; quod si sortilegio reparando minùs valérent, homicidia, præposteras libidines, Atheismum, Symoniam, cæteraque vitia propagarent, quæ nec sortilegii nec maleficii Quæsitores hactenus à Provinciis illis eliminarunt à quibus Spineus hæresim trans Alpes exegisse gloriatur. Quis negat in crimina publica vindicandum, quorum impunitas, dum legitima probatione de illis constitit, iram Dei provocat? sed non ex torturæ fallaci examine ob-

ſcuriorum criminum probatio expetenda eſt; illius enim reſponſis confeſſionibuſque deluſi, plures martyrio ſubjiciemus innocentes, quàm nocentes pœnis debitis afficiamus, nec ſolùm illius uſu Satanæ tyrannis ſtabilietur, ſed triumphus etiam hoſtis humani generis promovebitur, plus unius innocentis ſupplicio gaudentis, quàm mille nocentium jacturam ſentientis.

Ab omnì ævo fuiſſe ſortilegos, ſemperque futuros inpoſterum.

Argumentum eſt ſupinæ inſcitiæ ſortilegos eſſe negare; Mihi ſanè parvo negotio pronum eſt ab ipſis ævi naſcentis primordiis eorum originem repetere, perpetuâque ſerie ad noſtra uſque tempora deducere. Idololatria quæ diluvium generale præceſſit, & illius potiſſima cauſa fuit, quid fuit aliud quàm merum ſortilegium? Quid, amabo, humanæ victimæ malis quondam geniis mactatæ ſub nominibus Baal, Moloch, Saturni, bonæ Deæ ſeu Divûm matris, Jovis Latialis, Dianæ Tauricæ, innumeriſque aliis Divorum inanium nomenclaturis ab hodiernis maleficiis diſcrepabant, quæ Deo juſtis de cauſis annuente Cacodæmones operantur, ſortilegiſque miſerè deceptis in eorum

gratiam fieri per ſigna deriſibilia comminiſcuntur? Quid abominanda ipſis idololatris ſacra illa Bacchi, Cereris, Iſidis, Oſiridis, Anubis, Serapis, Abraxæ & Mythræ; nonne noſtratibus orgiis & nocturnis ſortilegorum Bacchanalibus æquiparantur? ſed poſito & confeſſo eſſe ſortilegos, & Bacchanalia etiamnum fieri, quid inde elicitur? Anne ideò, ut probes mulierculam illis inter fuiſſe, torturæ cruciatibus rem ſenſibus imperceptibilem ſcruteris? An hoc in caſu non perceptam, dubiamque præſtigia inter & realem viſionem, inevitabili torturæ mendacio expones, quùm reis etiamnùm dubiis manifeſtum torturâ paretur exitium, veris autem ſortilegis aut maleficis effugium pateat ex toroſo athleticoque patiendi habitu, aut narcoticis medicaminibus, aut (ut loquuntur Inquiſitores) ex pacto taciturnitatis & indolentiæ? Nonne ex præmiſſis luce meridianâ clariùs exploratis conſtat, ſolos innocentes ad falſas torturæ confeſſiones adigi? Certè hoc ſolo argumento perſuademur, plus Dæmonibus ex torturæ uſu, proceſſibuſque ab antiquo jure diſſonis accreviſſe, quàm Quæſitorum

capitalium diligentiâ decem sæculis ex humanis victimis decreverit.

An à sagis & sortilegis tot mala, quot genus humanum in dies patitur, oriantur?

Furor est indubiæque species insaniæ tot malorum quibus in dies humana sors premitur causam â sortilegis repetere. Non minore vesaniâ creditur, his sublatis Dei vindictam in genus humanum sopitum iri. Deus tot malorum pœnæ quot in dies peccata nostra in nos provocant, auctor est indubius. Mali genii quorum operâ Deus in exequendis pœnis utitur, ex concessâ sibi licentiâ futurarum calamitatum conscii, hominibus sibi addictis, quâ versutiâ sunt, suadere nunquam omittent, quæcumque ex Dei justitiâ procedunt, hæc ipsa in sortilegornm vindictam aut ad libitum fieri. Demus nunquam fuisse hactenus nec futuros inposterum sagas aut sortilegos; non ideò casus defuere aut imposterum deerunt quibus Dæmones ex divinæ justitiæ decretis calamitates in genus humanum effundant; nec cessabit naturæ perennis ordo contrariâ virtute corporum cœlestium in meteoris, segetum, brutorum hominumque strages & excidia versare; nec sibi deerunt Cacodæmones quin pro indole suâ, ex divinâ

vinâ licentiâ his ſe immiſceant, quoties hoc humana flagitia exigant, abſque ſortilegorum operâ. Pœnæ quidem exigendæ ſunt à ſceleratorum illorum colluvie, quæ ſibi malignè tribuit, quæ divinæ juſtitiæ vindices aut ipſa naturæ ſerviens varietas in nos & noſtra exequuntur; etſi enim gens maleferiata quæ perpetraſſe ſibimet imponit, in actu non operetur, ad eadem tamen perverſo deſiderio fertur quæ mali genii, ſaltem intenſivè, ab eorum voluntate exigunt, ipſique à Dæmonibus in actu votis ſceleſtis ſollicitant, ſed in inquirenda talium veritate, non ideò exploratis & indubiis innocentium periculis, incerta & dubia mala redimenda ſunt.

CAP. VI.

Quid arbitrio Quæſitorum relinquendum circa torturam.

AD prudens demùm Judicum arbitrium, velut ad ſacram anchoram aut ad arcis cujuſdam penetralia theorici Quæſitores & interpretes ſe recipiunt, quùm rationibus, velut evacuatâ continuâ jaculatione pharetrâ, deficiuntur; ſed prudens illud Judi-

cis aut Quæsitoris arbitrium non minori desperatione quæritur, quàm ipsa criminum occultorum veritas. Cæcus ille religionis impetus quo tot Christiani Judices Nerones & Diocletianos, falsi aut veri numinis cultu delusi, paribus excessibus æmulati sunt, eodem passu semper ambulat. Quâcumque tormentis in reos agitur, criminis confessio, non veritas ut plurimùm quæritur. Ad indagandum crimen, incerto etiamnùm auctore, crudeliori lanienâ in reum incompertum sævimus, quàm exploratum facinus in legitimè convictum sponteq; fatentem exigeret. Ptoh Christianam omni Paganâ truculentiorem barbariem! ut unico gladii ictu compertum nocentem ulciscamur, tormentis in reum ancipitem à Diabolo in sanctorum martyrum carnificinam inventis quæstione grassamur! quid crudelius! quid immanius stygiæ potestates ipsaque idololatria comminiscantur? Quotusquisque Judicum qui cruciatibus mendaces à miseris voces exprimunt, innocentem reum deprehendisse non sibi probro pudorique reputet? Nocentem non solùm omnimodè quærunt, sed volunt

lunt & efficiunt. Ad hæc ingesta sunt tormenta à generis humani prædatore Dæmone, ut quemque Quæsitoribus mala cujusque sors obtulerit, idem violentâ torturæ confessione convictus, ad supplicium adigatur. Sic Damasci periére tot Christiani sub Thalassiarcho Agareno, de urbis illius incendio falsis indiciis insimulati. Sic Pisis in Etruria Gambacurtæ sub Carolo quarto Cæsare; Neque aliter Templarii fratres excidium passi sunt. Sic Italia, torturæ tyrannorumque mater, in invisum quemque perniciem certam semper effudit, objecto majestatis crimine. Nempe quicquid virium innocentia miserè laceratis suggerit, id omne exhaurit crudele *indiciorum de novo*, ut ajunt, *repertorum* inventum, quæque vox flagitium admissum non fateatur, ad ima torti viscera tortorum immani sævitiâ retruditur; *Aut fatearis*, inquiunt, *aut pereas necesse est*; quicquid innocentiæ suffragatur, importunum est; Mors & supplicium quæritur, innocentia non quæritur.

Tibi, Christianissime Rex, cæterisque Christianis Principibus incumbit æquâ prudentis judicii trutinâ per-

 pen-

pendere quid diſcretioni Judicum relinquendum ſit, in re, quæ nec uſum recipit, nec abuſum niſi abolitione temperet? Sanè ſi ex ſaniore torturæ uſu certa patet innocentibus pernicies, ut ex præmiſſis apertè convicimus, abſque certâ temeritate continuari non poſſe colligitur; fruſtra enim moderatio quæritur, ubi ſanior uſus ab ipſis inventoribus mille experimentis fallaciæ, mendacii, immanitatis arguitur. Satis conſtat ſub illa in Chriſtianos inquiſitione Neronianâ, tyranno non defuiſſe torturæ ſubſidium. Urbem quæſito ad voluptatem incendio deleverat. In tyrannum ab irata plebe incendii crimen rejectum eſt. Ille, ut falſos auctores declinandæ invidiæ ſubderet, in ſubſidium torturam advocat; Chriſtiani, qui his temporibus paſſim ſortilegi audiebant, tormentis admoventur; nec mora torturæ indubius prodit effectus; falſum crimen fatentur; de ſe faſſi, de complicibus per tormenta interrogantur; quid de ſociis faſſi ſint; Cornelius Tacitus temporum illorum ſcriptor, ut in Chriſtianos minimè gratioſus, ita nec tyranno extincto favens, apertè profitetur;

Tacit. Annal. lib. 15.

tur;

tur; eorum indicio multitudinem ingentem ejuſdem criminis inſimulatam. Rurſus ingens illa tortorum multitudo aliam ingentem multitudinem ad torquentium libitum indicavit, atque adeò uniformis & nunquam ſucceſſu carens effectus torturæ ſubſequutus eſt, progreſſus, inquam, in infinitum indiciorum, indicantium & indicatorum. Inde ſeges illa opima Quæſitoribus quæſita, amplaque ſæviendi in genus humanum materies, quâ nec innocentiæ nec juſtificationi locus eſt, ſolumque flagitii nomen per diriora quæque tormenta nocuos, innocuos, nullo diſcrimine ad famæ, bonorum & ſalutis inevitabilem jacturam adigit. Hoc in infinitum progreſſu tot rei Neroni confecti ſunt, ut amphitheatri lanienis & totis compitis in uſum nocturni luminis ſacri martyres abundè ſuffecerint. Quis hæc audeat in dubium revocare, quùm præter Taciti contemporanei teſtimonium, Sulpicii Severi & martyrologii Romani fides accedat? Ab his temporibus omnibus ſortilegii Quæſitoribus, Magiſtratibus, quotquot fiſco utuntur, rebuſque publicatis participant, ad torturam provolandi

Sacr. hiſt. lib. 2. n. 8. Kalend. Jul.

landi fortior objecta illecebra, cujus escâ deliniti plerique, seu vindictæ immodici, seu præposteri zeli studio, sive publicationum avidi propriis affectibus indulserunt.

Sed, amabo, si primævis illis Christianis constantia viresque defuerunt quibus torturæ cruciatibus falsum crimen negando resisterent, morsque illis diuturno supplicio pacatior visa est; ut quid sperare de mulierculis liceat, reorumque quolibet ope Dæmonum, narcoticis, aut athelitico habitu destituto? quid si tormenta nostratia antiquis mitiora asserant, sanè usum & acerbitatem illorum ignorantium est, quùm & equulei nostri & vigiliæ & pensiles trochleæ eadem prorsus sint cum antiquorum lanienis; quin & immaniora quotidie prodeunt, ut ex Farinacio docuimus; Adde quod in tormentis nullus distinctioni locus est; quùm enim semel eorum usum admiseris, nullum in illis modum inveniet humana crudelitas. Si levia, pro non tormentis æstimabit, quippe quæ à patiendi assuetis despiciantur; si atrocia, & robustus & imbecillis sub illis opprimuntur. Ubi Quæsitores criminalium

lium reos peragendi ſtudio ſemel incaluerint, cruciatus undique conquiſitos ingeminant, augent, protrahunt & ex Romana tyrannide repetunt, mox etiam, ex neotericorum immanitate continuant, donec tortum quantumvis innocentem ad quæ voluerint adigant. In hac perturbatione, receptis ſemel abuſibus mordicus inhærentes, torturæ finem primarium ſeu mavis ideam ex mente ſibi patiuntur elabi; jamque veritatis, quam prius quæſierant, malè memores, quicquid ex ore reorum præter criminis confeſſionem erumpit, id totum ceu mendacium reſpuunt, ſolum crimen quod animo perceperunt pro veritate reputant.

CAP. VII.

His in proceſſibus quam fœdi abuſus irrepſerint, præter antiqui juris formulas.

HÆc ſi quis penitiùs inſpiciat, ita ſe, ut prædiximus, habere comperiet; nempe omnes à jure poſitos limites his in proceſſibus, & contra reum præcipuũ, & contra complices transgreſſi ſumus. Quâ tempeſtate ſive Augusto

L. 4. C. de quæst. l. fin. C. de accus. l. repeti. ff. de qu. l. edictum. ff. de qu.

gusto sive Ulpiano visum est, servorũ quæstionibus ad probanda crimina inesse efficaciam, sub geminâ conditione hoc expressum est; primâ, quùm crimina forent adeò rimatu difficilia, ut solis tormentis investigari possent; alterâ, quùm in solos servos tormentis ageretur; Recentiores tamen servorum cruciatus ad quosvis ingenuos porrexerunt, Neronis & Tiberii mores & ingenium sequuti, sub quibus ex toto orbe Romano civilia jura exulabant, civibus ad vilia mancipia redactis. Hunc titulum majestatis rerum capitalium, & sortilegii potissimum Quæsitores, eò usque porrexerunt, quò quæstionibus uti in animo habuerunt; quùmque & leges ab Italis & cruciatus prodierint, atque illi servilem animum à Cæsarianis usque sæculis induerint, genus humanum quâ Romanis legibus patet aditus, quæstionibus subjecerunt. Jure denique Romanorum ad graviora quæque crimina, imò ad ipsum majestatis judicium solâ accusatione agebatur, nec impune fuit accusatori, si semel in probando crimine deficeret, quin imò talioni locus dabatur. Hodiernâ praxi sortilegium majestatis huma-

humanæ crimini, addito ex industriâ majestatis divinæ titulo, aggregatum est, ut quibus sub Syllâ privilegiis censebatur, iisdem & sub Christianorum legibus censeretur; sed dispari admodùm conditione; in hoc enim nostrate judicio nec in testes quantumvis falsos mendaciive suspectissimos, nec in delatores, plerùmque viles ex vulgi colluvie homunciones & mulierculas talio est; quin imò silentium & impunitas & delatori & testibus ex normâ promittitur, latissimusque calumniæ campus sternitur, bonis ac innocentibus certa pernicies struitur. Nec quicquam obfuit Syllæ crudelissimi tyranni invisum nomen, quominùs profectis ab infecto fonte privilegiis daretur locus; calumniatoribus enim nullam pœnam infligi hoc in crimine Syllam sanxisse auctor nobis est post Tullium Carolus Sigonius, utque mulierum testimonio fides adhiberetur. Nempe teterrimus tyrannus, ut dominationis arreptæ securitatem bonorum sibi strage firmaret, majestatis legem à se sancitam his in suspectum quemque privilegiis armavit, & quamvis Flavius Constantinus majestatis quæstionem ad

Carol. Sigon. de antiq. jur. Rom. l. 2. c. 29.

L. si quis. 8. C. ad leg. Jul. Maj.

ad antiqui juris formulas reduxerit, pœnâ in calumniatores revocatâ, ſoloque inſcriptionis proceſſu admiſſo, recentiores tamen interpretes, hâc repudiatâ methodo, non ſolùm falſis teſtibus, ſed & calumnioſis delatoribus impunitatem aſſeruére.

CAP. IIX.

Exploduntur tortorum indicia vanaq; Quæſitorum indagines.

QUid ergo tortura his in quæſtionibus operetur præter certam proborum perniciem non video; quùm ex Quæſitorum confeſſione liqueat, ſolos innocentes ad criminis confeſſionem adigi. Ipſe Tortorum
Part. 3. q. 13. immaniſſimus Bodinus, ad Sprangeri teſtimonium confugere cogitur, ut probet, veros ſortilegos, latrones & maleficos narcoticis incantamentis ſilentio præpediri, fruſtraque cruciatibus ſubjici, quùm vel indolentiæ pharmacis, vel pactis Dæmoniacis inſtruantut. Scio Mallei maleficorum ſarcinatores ab ipſis Tranquillo & Philoſtrato repetiſſe Domitianum illum Cæſarem Apollonio Tyaneo pilos omnes abraſiſſe, ſed quùm ipſimet

met fateantur ex formula exorcismorum quibus uti Judices præcipiunt, ad depugnandum reorum silentium; hoc etiamnum licere Dæmonibus in reorum jam carceratorum corporibus; in humano sanè corpore hosti vaferrimo partes aut laciniæ nunquam deerunt, quibus, irritâ Quæsitorum indagine, pacti signum illud, si quod sit, imperceptibili modo affigat, antequàm reus tormentis adhibeatur. Quid si hic torpor à natura proficiscitur, ut plerisque Medicorum convenit; ut quî vim ore suscepti pharmaci Quæsitor depilatione Rei abigat? Patet igitur torturam in solos innocentes agere, quùm & sortilegi & malefici plerique omnes in eam præsidium aut à Dæmone aut à natura sortiantur.

Binsfeld. in Comm. ad tit. C. de Malef. & Mathem. concl. 15. post Parid. de puteo. c. 2. de tortura & Grilland. q. 4. n 13. citātes Alb. Magn. lib. de secr. natur. & Dioscor. l. 5. pharmac. simpl. c. 149. vim illam lapidi Memphili tribuentes.

Quod ad complicum indicia attinet, nulla huic argumento responsio est, aut qui torquetur sortilegus est, aut innocens. Si sortilegus, quam fidem jurato humani generis hosti bonorumque osori capitali Judex cordatus adhibeat? quùm capitales inimicos in hoc, ut in cæteris, flagitio lex etiam humana à testimonio repellat? sed si reus innocens est, viqueque cruciatuum

tuum ad falsam confessionem adactus, quid in nocturnis illis congressibus agatur prorsus ignorat, quùm nunquam illis interfuerit. Quid si nihilominus complices ab illo exigas, an (contra Pauli Jureconsulti sententiam) expectas, ut *alienam salutem in discrimen non adducat qui de propria desperaverit*? Apage conscientiæ stimulos! abhinc enim exulare sanioribus etiam Theologis placuit. Si enim Quæsitori libuerit ab eo sciscitari, beatos omnes spiritus, omnes cœli incolas sortilegii insimulabit, ut ab Quæsitore carnificinæ pausam quamlibet obtineat. Forsitan & postea palinodiam meditabitur, si licuerit; Verùm aut retractationis hujusce non meminerit in illis angustiis, aut si meminerit, ab ea justo timore deterrebitur, ne toties ad cruciatus intolerandos retrahatur; nec deerit qui hæsitanti ex immani disciplina prædicet, frustra retractari semel prolata indicia, atque adeò irritas retractationes omittere compelletur. Jam verò prudentioris cujusque esse judicium, quid torturæ in flagitiis disquirendis tribuendum sit?

Lib. 5. sent. tit. 12.

Sanè si cuiquam nostratium juris inter-

interpretum in legum Romanarum immenſa congerie ſemel occurriſſet, naturalem non pati æquitatem, linguam, minimam humani corporis partem, legeque naturæ compagi cui inhæret obnoxiam, in corpus ſuum torqueri, vel in honorem vitamque heri ſui proferre teſtimonium cogi non poſſe, facile adducor ut credam id nobis æquè perſuaſum iri, ac Romano jure perſuademur, nec ſervum poſſe in Dominum torqueri, nec reum teneri actori contra ſe inſtrumenta edere quantumvis culpæ ſuæ conſcium, quum ut Diocletiano Maximianoque Cæſaribus viſum eſt, *nimis grave ſit urgeri partem adverſam ad exhibitionem eorum per quos ſibi negotium fiat*; Cur igitur in ſummo vitæ, bonorum famæque diſcrimine ſolo mendaci teſtimonio innitimur, reumque ore proprio ad ſui ipſius necem adigimus? *L. 1. §. Divus Antoninus. & §. ſi ſervi. ff. de qu. l. qui accuſare. C. de edend.*

CAP. IX.

Iterum ad lancem revocatur orgiorum vanitas & illuſio.

QUoties ex libri cujuſdam titulo comperior, auctorem intra quindecim annos in nongentos quâ ſagas *Remig. Demonol.*

quâ ſortilegos publicio judicio flammis addictos ex publici cognitoris officio animadvertiſſe; Spineumque ſortilegii proceſſibus ſuffragantem audio

Borth. Spin. q. de ſtryg. c.13.

aſſerentem, quotannis in Diocœſi Novocomenſi, quam ille perperam *Cumanam* vocat, centum plerúmque & ampliùs, & nonnunquam mille ſagas rogis addici, toties expenſis ſeriò rerum momentis, non poſſum quin ambigam, harumne innocentes pleræque miſerè perierint? Utinam abſque contrariorum convitio tot præſtigias quibus gens Quæſitorum minimè mala, ſed prona decipi quotidie ludificatur ſedulò liceret expendere; certè rudioribus animis patefieret ex centum larvatis illis Bacchanalibus, vix unum aut alterum congreſſum realiter fieri. Quicumque, ut ſuis proceſſibus fidem aſtruant, orgia illa nocturna pro veris nobis obtrudunt, hæreſeoſque inſimulant ad talia aſſenſum ſuſpendentes, quò clarioribus illa probare nituntur argumentis, eò majores nobis dubitandi cauſas porrigunt; poſtquam enim tot apparatus inſtruendo nocturno convivio præſtruxerunt, poſt tot congeſta fercula, lances, vaſa aurea & argentea, mur-

rhina

rhina, christallina, tot instratos equos, tot hircos, tot canes volatiles sessoribus onustos, post appulsam tot convivantium multitudinem, si minimo cuique aut Dei aut Deiparæ Sacrosanctum nomen excidit, totus illicet apparatus cùm convivis in hortos Tantali aut Lamiæ ab Apollonio Tyaneo abactæ resolvitur, solusque qui Sacrosanctum nomen protulit à tot præstigiis immunis remanet. Sanè tanta rerum congeries magnam veritatis speciem exhibet ex quâ corpus delicti testium oculis sincerè subjiciatur, ut inde ad criminis probationem cruciatibus exigendam à Quæsitore procedatur. *Philostrat. l.4. c.8.*

Non desunt qui asserant versutum illum joculatorem, relicto ex industria quodam poculo, fucum quandoque Quæsitoribus facere, ut fidem suis illusionibus astruat. Hoc urgente indicio, ad torturam poculi Dominus advocabitur, non attento, poculum illud aut quidlibet aliud relictum, à malis geniis inscio Domino potuisse deferri, certissimo tamen successu in sortilegum evadet, quamprimùm equuleo imponatur. Quid mirum si Tannerus nobis his verbis astipula-

De just. & jur. q. 5. Dub. 2. n. 43. Disp. 4. tom. 1. & qu. 6. Dub. 7.

tur: *Sagas in somniis non rarò à Dæmone deludi, dum se putant ad hunc vel illum locum deferri, & cùm his vel illis personis versari; imo valde credibile est ejusmodi translationes sæpiùs tantùm esse phantasticas, non veras & reales.*

Remig. Demonol. lib. 1. c. 18.

Quò magis subit mirari Quæsitorum quorundam credulam simplicitatem, pertinaciter astruentium, malis geniis inprimis id curæ esse, ut ne sectatores suos conventusque oculis hominum exhibeant. Sanè nisi ex falsis illis vanisque suppositis tot malorum series oriretur, possem cujusdam ex adversariis irridere fatuitatem, Dæmonem in testem allegantis, *quòd* (inquit) *sagæ quas flammis addixit uno ore profiteantur unanimes, Magistellos suos sibi dixisse, se id inprimis satagere, ut impunes evadant Judicibusq; ignotæ.* Crescit talium scriptorum incongrua ac puerilis credulitas ex repugnantibus quæ præmissis subnectunt; Diabolum, inquam, ad orgia illa nocturna quandoque innocentes pacti expertes gratis bajulare; atque adeò testes idoneos Quæsitoribus exhibere, qui de similibus interrogati, asseclas Dæmonum, sagas scilicet & sortilegos prodant, & testimonio suo ad pœnam capita-

pitalem adigant. Ita Remigius Dæmonolatriæ ſuæ libro primo, capite decimo octavo, & paſſim alii. Nonne eximiè cohærent hæc commenta? nonne ſibi conſtant optimè ſortilegii Quæſitores, ut fidem nobis in dubiam auctoritate ſuâ faciant? Subdunt, hæc nefanda conventicula non ſemel clarâ luce coacta, in triviis militari viæ contiguis, nec malum Dæmonem uſquam ſuis conſuluiſſe quominùs à prætereuntibus cernerentur; neque adeò, ſi quando fugâ ſubducti ſunt, quicquam penſi habuiſſe, ut impreſſa ſolo chori fugientis veſtigia, caprinis hirciniſque ungulis ſimilia delerent. Ita paulo ante laudatus Remigius, ita Sprangerus & Binsfeldius, ita omniū creduliſſimus Delrius, prædictorum teſtimonio ſolitâ facilitate innitens, Diſquiſitionum ſuarum libro quinto, ſectione decima ſexta. quid, amabo, cordatis clariùs probat, non aliud intenſiùs Cacodæmones expetere, quàm oculis teſtium ſpectra illa virorum & mulierum in orgiis repræſentata ſub proborum falsâ ſpecie ad fucum Quæſitoribus faciendum exhibere, ut inde certa pernicies apud credulos Judices innocentibus con-

Spranger. & Binsfeld. quos refert & ſequitur Mart. Delr. Diſquiſ. ſuar. lib. 5. ſect. 16. §. ſecunda circumſtantia.

Vbi supra. n. 45. & Dub. 1 n. 13. & tom. 1. disp. 5. qu. 6. Dub. 7.

concilietur. *Nobis* (inquit Tannerus theologus super his aliquando consultus) *non desunt exempla virorum & mulierum à malis geniis sub spectri consimilis specie præstigiosè exhibitarum, quæ sanè procul hinc aberant; neq; certò sciri potest an num quandoq; ex peculiari DEI permissu innocentes sub his spectris exhibeantur, quùm id sæpius factum historiarum fide constet. Possunt enim ex se Dæmones, ni specificè à Deo prohibeantur. Ipse Chrysostomus auctor est, opusculo suo de Dei providentia, Dæmonem id aliquando fecisse de Beata Virgine & de ipsomet Christo Domino.*

Lib. 1. c. 16.

Pleriq; eorum (inquit Remigius) *qui modo sunt memorati, istis non expleri famem aut sitim sedari, sed cibi potusq; aviditatem atq; appetentiam tantam superesse, quanta antea fuerit maxima; quæ sanè res multos impulit ut crederent, mera hæc esse visa somniorum & præstigias, qualia forte de hortis Tantali aut pomis Hesperidum fabulati sunt Poëtæ, cui convenit & hoc Joannæ Michaelis referentis, neutiquam illis qui ejusmodi conventibus intersunt, integros certosq; esse oculorum sensus, sed omnia perturbata, confusa atque incerta illis apparere, uti quibus ex ebrietate, somno, metu alioque vitio naturæ natant ac caligant*

gant oculi, aut etiam arte aliqua præstringuntur; Quodque in credulis & levibus istis Theologis, Quæsitoribus, Judicibus & Interpretibus lugeas, solam possibilitatem ex his arguunt, quùmque ex præstigiis tot fateantur esse delusos, id solum ex unico actu præsumpto eliciunt, quòd quandoque realiter evenerint quæ de præstigiosis epulis, choræis & conventibus vulgari rumore circumferuntur, ex quibus conclusionem astruunt, quod semel contigit pro vero & indubitato præsumi, id est, ut scola loquitur à posse ad esse dari consequentiam.

Quis ex Erasmo Suidaque non novit quæ præstigiator Pasetes convivis suis imposuerit? quis ignorat quid Numa Pompilius, quid Apollonius Tyaneus, priscis sæculis arte magicâ commenti sint? quæ vana & fictitia, quid vetat à Dæmonibus quotidie repeti, oculisque aut incantatæ dormientium phantasiæ repræsentari? nisi ergo Judici Quæsitorique aliundè quàm ex sagarum testimonio aut extortis indiciis constiterit, hæc quæ de sortilegio suspectis imputantur in actu vera esse, nego corpus delicti ex præstigiosis rebus elici posse; quid

enim à tortis aut non tortis in hoc crimine pro veritate reputes, quùm etsi quandoque realiter contingant, nunquam tamen certò constare possit an in hoc casu realiter & verè contigerint.

Sed (inquiunt) de crimine divinæ majestatis læsæ agitur; unde concludunt, complices his in processibus fidem mereri; nempe flagitium est atrox & probatu difficillimum; ideò (inquiunt) minori probatione indiget, & facilius suspectorum & infamium testimonio in lucem prodit. Reipublicæ, inquiunt, interest carnificinæ huic nullas fieri inducias, omnesque sortilegii insimulatos solo maleficii nomine ad pœnas & cruciatus adigi. Sanè quandoque comperient Judices an his rigoribus Dæmones ingemiscant, & an diverso titulo id tandem consequuti sint, quod ex idololatriæ explosæ jacturâ illis periisse videri poterat.

Horret animus tantam innocentium seriem repetenti qui diris torturæ cruciatibus ad falsas confessiones & mortem infamem compulsi sunt. *Lib.3. c.3.* Plures Valerius ille Maximus temporibus suis memorat. Aliorum alii aucto-

auctores meminere, quos hic referre mihi pronum ſit, ſi plus exemplis quàm ratione promoveretur. Quis neſcit quæ Judici illi Mediolanenſi contigerint, qui poſtea in Cardinalium Collegium aſcitus eſt. Mulam ſuam de induſtria manu propriâ interfecerat, ut quid fidei torturæ deberetur proprio periculo experiretur. Famulus ejus ſtabularius, tanquam cædis ſuſpectus, tormentis ipſius juſſu examinatur, cædis ſe auctorem cruciatu adactus profitetur, metu novi tormenti extra equuleum confeſſioni inhæret. Herus, hoc experimento torturæ fallaciæ convictus, judicis officio ſe abdicit, & torturæ mendacia æternùm execratus, ſacerdotio ſe addicit. Sed & Neotericus *incredulitatis* auctor qui hujus vitii Curias omnes Senatuſque Galliæ inſimulat, hiſce proceſſibus non ſubſcribentes, meminiſſe debuerat miſelli illius in Burgundiæ Comitatu ſortilegii damnati, cujus tragicum ſupplicium à ſacerdote qui ei in extremis affuerat fidâ narratione perceperat, & cujus ipſe invicem meminit in ſuo *credulitatis inſciæ* tractatu. Miſellus ille complicum ſortilegii damnatorum indicio delatus,

Pere Jaques d'Autun, auteur de l'incredulité ſçavante.

tus, & à Quæsitore ad torturam adactus, certo & inevitabili torturæ eventù falsum de se fassus fuerat. Sortilegum sese ideò fatebatur, quod indicibus ita visum fuerat. Mortem, cruciatus, ignominiam grato lubentique animo, quandoquidem sic visum erat Judicibus, suscipiebat; sed enixè sacerdotem efflagitabat, ut illi sincerè patefaceret, an quis sortilegus seipso inscio fieri posset; sacerdote ad hæc fatuæ simplicitatis argumenta judicium execrante lachrymisque uberrimis miselli sortem prosequente. Quid si religioso scriptori, cui torturæ processuumque juri antiquo contrariorum nota sunt horrenda discrimina, secùm sentire libuisset, tantùm abest ut Judices talia patrantes crimine soluisset, quin imò eadem pœna teneri pronunciasset, quam in reos temerè adeò, non damnatos modò, sed etiam torturæ carcerique addictos statuissent justiùs addixisset.

Dub. 29. Quisquis sit auctor Libri qui sub titulo *Cautelæ criminalis* â Germania nuper prodiit, manibusque omnium teritur, nunquam satis muneri officioque suo fecisse videbitur, quòd tot tantosque hujus carnificinæ processuumque

abu-

abusus solis Principum auribus servaverit, toties præfatus, se per ocium Magistratibus olim, si licuerit, indicaturum; & quamvis multa in illo volumine proferat, quæ certè ad excitandos ad hæc monita exlegum processuum fautores sufficerent, non tamen usque adeò pollet auctoritate anonymus ille libellus, ut ignoto auctore, solis rationum momentis Judices inveterato errori insistentes à receptis hodie formulis deterreat. Librum illum sancti Romani officii primariis Quæsitoribus dicatum oportuit; quin auctor ipsemet summi Pontificis pedibus accidere debuit, oreque proprio arcana illa reserare, quæ nunquam ab illo forsitan, certè nunquam satis tempestivè prodibunt. Quid Reipublicæ Christianæ consultum hactenus, quod auctor ille, sincerè profiteatur, innumeros innocentes tanquam sortilegii reos torturæ cruciatibus ad injustas pœnas adigi? quid confert subsidio innocentium, quod *argumentum quoddam penes te repositum habeat, suo* (ut ait) *tempore revelandum, quo id sibi penitus persuadeat* (verba sunt ipsissima piissimi illius Theologi) *ut nullatenus dubitet inter quaslibet* Dub. 11.
quin-

quinquaginta ad rogum damnatas, vix quinque aut duas verè nocentes reperiri? Ad hæc arcana revelanda Magiſtratus omnes advocat, qui id *manibus*, ut ait, *palpare velint*, id eſt ex plano comperiri. Nempe dabit operam ſuo tempore & loco ut de his explorato convincantur, ut Dubio ſuo undecimo palam receperat, ſed fruſtra. Heu iterùm fruſtra promiſit, præcoce fato è vivis ereptus, antequam quiſquam è Magiſtratibus arcanis illis imbui voluerit! Non in craſtinum differenda ſunt quæ tot innocentium in dies pereuntium incolumitati conducunt. Inſidietur ſanè Dæmon quantùm poterit huic noſtræ lucubrationi apud præpoſtero zelo ſeductos aut famæ ſuæ velificantes Theologos; quicquid ex adverſo malè fermentati homines moliantur, ipſo Angelorum miniſterio dignum eſt, eritque ſemper, innocentiæ patrocinari; adeò ut decus illud Africæ Auguſtinus, cui quamvis indignus, cognominis audio, tanto operi curas ſuas impendiſſe non renueret; nec dubito ſacrum illum Doctorem, ſi his temporibus in humanis ageret, ſtylum libentiſſimè ſtricturum in tot exlegum processuum abuſus,

non

non minori ſtudio, quàm quo torturæ immanitatem tragicoſque ſucceſſus proſequutus eſt.

Quid ſupereſt ut Romanæ tyrannidis aſſeclas in torturæ uſu proceſſibuſque anomalis compeſcamus; niſi tot ſortilegii formaliſque apoſtaſiæ probationes ad ſolam poſſibilitatem redigamus? equidem poſſe fieri non ambigimus; facta etiam quandoque confitemur; ſed quùm ad facti quæſtionem recidunt, dicimus, omnem Theologiam, quanta quanta eſt, facti quæſtionem probare non poſſe, quicquid ſibi de horum criminum poſſibilitate ſtatuat. Dicimus Pontificia illa Diplomata quibus Apologiæ Quæſitorum ſortilegii, formulæque proceſſuum judicialium in ipsâ fronte muniuntur, non eſſe Conciliorum generalium decreta, nec ſanctæ ſedis ſuper fidei dogmatibus articulos, ſed reſcripta precibus Provincialium innitentia, clauſulaſque proœmiales, quibus ex ſuppoſito quibuſdam religioſis facultas conceditur ſub Epiſcoporum conſcientiâ & conſenſu in enarrata flagitia inquirendi. Quæſitori nihilominùs incumbit ex conſcientiæ debito facultatem hanc ex æquo & bono,

no, habitâ probabilium probatorumque ratione metiri, nec quicquid ardente zelo conceperit, exequi, aut quod libet, idem licere præsumere. Judicum igitur est, quibus sagaciori mentis acie Deus indulsit, crassioris Minervæ ingeniis in obscurioribus prælucere, nec pati ut tenebrarum mundique vafræ potestates speciosis pietatis justitiæque titulis incautioribus fucum faciant.

Transvectiones sanè reales admittimus, orgia, larvas, lemures, sagas & sortilegos esse fatemur; sed horum criminum probatio tot tantisque præstigiarum involucris tegitur, ut neque scholæ neque Theologorum, quatenùs Theologi, sit de iis apertè statuere. Sensibus quidem externis plura percipiuntur, quæ tamen Theologorum vaferrimus seu mavis doctissimus, an præstigiosè aut realiter contingant nolit aut nequeat asserere. Quid ni enim liceat ambigere; an Dæmon ideò solùm lemures illos quandoque in corpore transvehat ad designata orgiis loca, ut sub inanibus illis unctionibus & congressibus fidem de cætero astruat præstigiosis confessibus, quibus bonorum famæ salutique insi-

insidietur. Sic miserè delusis impostor ab initio sibi curæ impunitatem eorum futuram magnificè prædicat; nec illis modò, sed & Quæsitoribus ac Judicibus quandoque persuadet. Ad arcana hæc detegenda, ex majestatis privilegiis, torturæ infamiumque ac intestabilium fides imploratur; utque semel hoc versipell tentator consequutus est, religionem simulat, captatoque ab ænei cimbali ad nocturnas aut matutinas preces accersentis tinnitu, mancipium aliquod ex suis præcipitat, totamque larvatæ rei seriem Quæsitoribus aperit. Hinc torturæ cruciatus, hinc complicum indicia, hinc violentæ falsæque confessiones, hinc denique tot innocentum injusta supplicia. Ille ipse Dæmon, sacrorum in speciem formidolosus observator, qui millies in Dei nomine compulsus ut ab obsesso corpore discedat, ab homine vexando non abstinet. Ille, inquam, qui neque altarium præsentiam, nec divinitatis pignus augustum sub humana substantia speciebusque sensibilibus mortalibus relictum veretur, nec Christi ipsius tactum reformidavit, dum illum tentabundus, aggredi cir-

cumferreque non veritus eſt, quid ni ſimplicioribus imponat miſellos illos Judicibus proditos ex concepto à tinnientis cimbali terrore, aut ſacri nominis à quopiam de induſtria tranſuecto prolati reverentiâ, ut ejus teſtimonio his torturis & indiciis locus pateat.

Ad excuſandam denique torturæ proceſſuumque irregularium violentiam ultimo loco dicitur, non eſſe leges aut receptas formulas ideò reſcindendas, quòd quandoque ex iis mala quædam poſſint oriri, realiterque oriantur; quùm in moralibus omnimodæ ſecuritati non ſit locus; & huic quidem rationi non ægrè aſſentirer, ſi caſus tot innocentium torturæ falſiſque in ſortilegio indiciis & delationibus oppreſſorum fortuitò contigiſſent, aut rarò, aut non ſemper, nec plerùmque eodem modo evenirent; Sed certum & indubium ſemper periculum imminet, non fortuito, ſed conſtanti ſolitoque torturæ uſu; adeò ut nunquam Judicibus explorato conſtare poſſit an confeſſiones & indicia cruciatibus extorta vera ſint, necne. Abolenda eſt igitur quæſtio per tormenta quippe quæ à periculo innocen-

nocen-

nocentum divelli nequeat, & in qua plus aleæ, quàm ſecuritatis, plus mendacii, qnàm veritatis comperiamur.

Quod ad exempla attinet, quorum numerus à contrariis exiguus ſupponitur; ſi quæ omnibus nota ſunt, infinita ſunt, quorum copiam nulla non ſuggerit hiſtoria; quid de innumeris cenſendum eſt, quæ ſupremo Dei judicio quandoque innoteſcent, quæque naturali cujuſque ſenſu percipiuntur? Quid ſi phiſicam, ut ajunt, & omnimodam certitudinem in his probandi criminis modis inveniri non poſſe aſſeras, non ideò ſequitur, de abſoluta neceſſitate reum certo famæ vitæque diſcrimini objiciendum ſub prætextu quod crimina probari aliter quàm fallaci probatione nequeant; quin potiùs ex Chriſtianâ neceſſitate abſolutè ſequitur, & ex omnimodâ divini juris veritate convincitur, non committenda torturæ compertis toties mendaciis majora hominum momenta, bona ſcilicet, honorem & vitam, quùm ex comperto nulla certitudo nec moralis nec phiſica nobis appareat, quid de his confeſſionibus & indiciis pro veritate ſit reputandum.

Scimus equidem & fatemur, non esse Judicum neque Magistratuum de hac controversia decidere, quùm ne ad eos quidem reorum innocentium querela dirigatur, nec nostri sit instituti, si quid in his delinquitur, ab illis hoc in opere repetere; sed quùm legum interpretatio, pœnarum irrogatio, judiciorumque instructio ab illorum officio pendeant, non possumus Judicum, Quæsitorum & juris interpretum non meminisse quoties torturæ processuumque à communi jure recidentium mentio inciderit, non ut quicquam cujusquam famæ, honori dignitatique detrahamus, sed ut in medium nos quoque quæ nobis humano generi conducere visa sunt sub doctiorum censura proferamus. Utque Julio Claro licuit opinari typisque mandatum posteris exhibere, quandoque solam criminis atrocitatem ex solo rumore publico sufficere ut reus ad torturam admoveatur, sicque in praxi receptum apud Insubres; utque Marsilio, Menochio, imò & Binsfeldio in tam duram sententiam pedibus itum est, huicque postremo, quamvis sacerdoti, visum est durioribus sententiis & opinionibus in

In prax. § 1. vers. sunt etiam, in fin.

Marsil. l. 1. in princ. n. 47. ff. de quæst.

Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 84, n. 9.

rebus

rebus capitalibus ſuffragari, dum aſſerit, in atrocioribus criminibus ſuper indiciis & ſuſpicionibus levioribus ad torturam licere provolare; ut denique Maſcardo viſum eſt, in capitalium quæſtionibus licere à receptis juris formulis & cautionibus recedere, nec alio ordine procedere, quàm cujuſcumque ordinis inverſione, cur mihi potiori jure non liceat in negotio aleæ periculique pleniſſimo cautiùs incedere, greſſuſque meos ex præſcripto divini juris æquitatiſque naturalis trutina moderari? Cur timeam ſententiæ nimiùm torturæ proceſſibuſque exlegibus tribuenti non ſubſcribere, cùm ille ipſe Julius Clarus fateatur, plures innocentes torturæ violentiâ falsò confeſſos & condemnatos, ſubdatque exemplum cujuſdam viri nobilis à Dynaſta Sulalpino tetro carceri mancipati, quem tamen duo homines cædis ejus inſimulati, torturæ immanitate faſſi fuerant occidiſſe, ideò injuſto ſupplicio morti addicti, quùm qui cæſus afferebatur, poſtmodum ſemi vivus è carcere quo diutiùs detentus fuerat emerſerit. Unde colligere eſt, quot inſontes inevitabili torturæ fallaciâ quotidie pereant.

verſ. vel tertio. Binſfeld. de confeſſ. Malef. memb. 2. concl. 5. §. An dictum mãdatarij. Maſcard. de probat. lib. 3. concl. 1385. n. 13. & ſeq.

Lib. 5. §. fin. q. 64.

CAP. X.

Insigni ævi nostri exemplo probatur torturæ fallacia.

LOcus admonet ut quæ olim in Batavis comperi huc interseram. Videbam Amstelredami anno sexagesimo supra millesimum sexcentesimum Christianæ epochæ destinatum grandi apparatu publicis suppliciis suggestum; quùm Batavo qui mihi aderat; cur, inquam, tamdiu lege agi in damnatos differtur? Carnificem (inquit) Harlemiensem præstolantur sumendis suppliciis idoneum. Iterùm instanti mihi, cur tortore carerent Amstelredamenses, causam Batavus his verbis refert. Adolescens non ita pridem vini aut cervisiæ crapulâ onustus, dum intempestâ nocte domum se recipit, somno oppressus, in alienæ domus limine obdormivit. Vix ei sopito nocturnus latro supervenit, dormienti peras excutit & scrutatur, quicquid offendit furatur; Inter alia siccam, seu pugionem mavis, in usum suum sibi retinet, pergitque grassari ulteriùs. Vix à vico emerserat, alteri fit obvius, infestusque

que irruit. Ille in ſui tutelam repugnat; repugnanti graſſator pugione furtim ablato vitam adimit. Poſt hæc vigilum veritus excubias per vicos & compita totâ nocte excurrentium, veſtigia ſua relegit, nactuſque ſopitum adhuc adoleſcentem, pugione peræ dormientis reſtituto, hoſpitium repetit. Vigiles illicò in jacentis cadaver impacti, dum urbem luſtrant, recentis cædis veſtigia comperiunt, unâque adoleſcentem tum demum experrectum ſurgentemque ut domum repeteret, tanquam cædis auctorem ſiſtunt, peras rimantur, inventoque cruento pugione, carceribus vix ſui compotem mancipant. Poſteſterâ luce luſtrato cadavere, deprehenſoque vulnere, ac ſiccâ indita, compertoque eadem ipsâ inflictum, Quæſitor reum præſumptum de noxâ ſciſcitatur. Negat innocens. Urget cruenti pugionis indicium. Ad torturæ oraculum provocatur, nec deeſt comperta cruciatibus exprimendi mendacii neceſſitas. Fatetur miſellus adoleſcens quod ne ſomniando quidem admiſerat; Ex equuleo depoſitus, metu novi ex Romanâ lege cruciatus, mendacium confirmat, falſum-

ſumque homicidium vero tragicoque ſupplicio capite luit. Paucis ab hinc diebus verus homicida, ob nova flagitia carceri mancipatus, ingenuè fatetur, ſe hominem peremiſſe cujus cædis juvenis innocens, reus torturæ mendacio peractus, injuſtæ pœnæ ſuccubuerat. Innotuit fœderatarum Belgii Provinciarum Concilio tragicum adoleſcentis ſupplicium cauſaque cognitâ, mulctæ nomine, Magiſtratui Amſtelredamenſi tortor ademptus, quod injuſto ſupplicio tortoris operâ malè uſus convinceretur.

Hoc exemplo, cui innumera alia poſſumus annectere, indubiam torturæ fallaciam docemur, cujus circumſtantias, ſi peniciùs inſpicias, manifeſto comperies, neque indicia quantumvis urgentia,& (ut noſtri loquuntur) violenta, neque actus delicto proximos & imminentes, neque rei diſpoſitionem & habitum in ſpeciem facinori conſonantia, certitudinem ad torturam, nec torturâ expreſſas voces ad veritatem quicquam facere, neque adeò tutè nec ex conſcientiâ Quæſitorem agere qui fallacibus ſignis innixus reorum vitam mendaciſſimo torturæ examini ſubjiciat; neque

que enim illa est convictionis claritas, quam humanæ divinæque leges exigunt ut ad ultimum supplicium deveniatur.

Jam verò, si mihi de Batavorum judicio proloqui licet, dicam ingenuè, satiùs ex re videri Magistratui Amstelredamensi torturæ usu interdici, quàm carnificis, quùm hæc interdictio nullum consummato perperam judicio remedium, nullam in posterum cautionem porrigeret. Quùm enim semel innocenti vitam eripueris, frustra reparare nitaris quod humanâ potentiâ reparabile non est; ideò tenentur Judices à præcipitii margine cui tortura impendet abscedere; nec minùs incumbit Principibus, tot tragicis experimentis edoctis, opportuno abolendæ torturæ subsidio in posterum tot innocentium saluti consulere, hocque sibi fixum in animo statuere, eo ipso momento quo reus ad torturam damnatur, eodem ad mortem condemnari; sola enim vel pacti vel sumpti medicaminis vi, vel temperaturæ felicitate, non innocentiâ rei communem hominis habitum expugnantia tormenta superantur.

Judex igitur qui reum cruciatibus addicit; ad ſupplicium ſimul adigit, teſti unico aut præſumptionibus & indiciis integram fidem adhibens; utque plerumque fallunt indicia, fallit infamis coactique teſtimonium, tortura, ſeu neget reus, ſive fateatur in tormentis, nunquam mendacii præſumptione vacat, atque adeò legitimam probationem non efficit; cui enim ad tolerandum vires ſuppetunt, is proprio periculo adactus falſum negare compellitur, cui autem non ſuppetunt, cruciatus intolerandos falſâ confeſſione neceſſariò ſibi redimit. Neque enim Bodinum in tot abſurda & legi Chriſtianæ pugnantia incidiſſe credere par eſt, niſi quia ſortilegii judiciis ſemel aut iterùm interfuerat; ſuffragioque tenebatur. Sed ſi ſagarum Lemurumque exiſtentiam, ut & nos, aſſerit, non tamen ideò flagitii hujuſce probationem per cruciatus approbat; neque enim mulierculam illam de quâ ſæpe ſermo illi eſt, ſortilegii pœnæ ſuffragio ſuo addixit, niſi quia ſponte crimen faſſa eſt; atque adeò crediderim eadem nobiſcum de torturæ mendaciis ſenſurum, ſi quando ſuper his conſultus foret.

CAP. XI.

Enucleantur absurda quibus doctrina Quæsitorum sortilegii undequaq; scatet.

SAnè si Capitalium Quæsitorum atrocem animum intensiùs rimeris, ingeniosamque in exquirendis undequaque cruciatibus diritatem, suberit suspicari, spiritum illum mendacii, homicidamque ab initio præposteris illorum studiis immisceri; quicquid enim vel oscitanti tyranno, vel Romano leguleio semel asperum aut inhumanum excidit, pro oraculo reputant, sibique in fidei normam præfigunt. Nec advertunt plerique nostratium Romanis legibus, quatenùs Augusti, Diocletianive, nos ultra non teneri, quùm dudum eorum ditioni non subjaceamus, nosque, rerumque hujus sæculi potentes, ceu Christianos homines, divinis legibus naturalique æquitati indissolubili jure subjici. Quid autem divino juri repugnantius, quàm infames mulierculas, ejusdemque criminis complices ad testimonium admittere, quos meliorum temporum leges & jura intestabiles

l. ob carmen. ff. de testib.

biles

biles à judiciis repulerant? quasi verò quæ majoribus tenebris involuta sunt, minoris lucis auxilio egeant. Quid, non dicam puerorum cachinnis ac sibilis, sed cordatorum lachrymis dignius, quàm cruciatuum acerbitate quæ mendacii compertum est organum, profligatæ probitatis testibus infamiam aboleri? probitatem fidemque restitui? Quis hæc absurda in puero lasciviente aut in febricitantis deliriis ferat? Cui enim rei adhæret infamia? reone sortilegii, latrocinii, parricidii aliúsve flagitii convicto, an ejus indolentiæ, ut infamiam illam dolore excutias? An capillis, ut pactum tacendi, ut eam unâ cum capillis abrasione abigas? an in vestibus, ut eam nuditate deleas? Si ergo infamis & intestabilis est reus quatenùs reus convictus, ut infamiam abigas, crimen unâ abigendum est; si autem crimen abegeris, purgatum & innocentem solvas necesse est; quùm enim crimen causa infamiæ sit, infamia intestabilitatis; nisi crimen deleas, causamque sustuleris, effectus remanere indubium est. Quis autem fando unquam à sanis audivit tormentis crimen dilui ut indicia? Si ergo crimen

in

in torto convictum, in retorto remanet, ut remanere par est, quùm solo supplicio purgetur, ut quid existente causâ effectum evanuisse asseveres? quo, inquam, modo ex mendacii organo testem habilem & veridicum efficias?

Hæc tamen deliria Binsfeldius ex Malleo Maleficorum & veterum aliquot juris interpretum allucinationibus ad nauseam usque nobis oggerit, rem sanè Principum animadversione, quàm rationis compotum Judicum attentione digniorem. Quantum enim allucinetur Modestinus, qui hæc in criminalibus judiciis nobis obtrudit, ostendit Didacus Covarruvias, eaque ad civiles tantùm controversias, ex opinione Bartholi redigi; quamvis & ipsi Covarruviæ ægrè admodum acquiescam, ad civilia judicia hanc imaginariam infamiæ purgationem reducendi, quùm vix, ac ne vix quidem in civilibus, ubi de solis bonis agitur, quæstioni per tormenta locus sit, nisi in servos, quæ sors, ut legi naturæ contraria, in Christianis exolevit. Unde Simanchæ Theologo sapienter & argutè dictum est, *hujus sententiæ auctores sine lege & ratione*

Caut. crimin. Dub. 44. rat. 5. §. Dices ex Binsfeldio.

ne loquutos; Rectiùs enim & conſultiùs rejiciuntur inteſtabiles, quàm admittuntur, ut dicto ſuo fides aut denegetur, aut ridiculâ purgatione per torturam, mendacii organum, legitimetur. Hæret tamen uſque adeò huic faſcino agglutinatum noſtratium juris interpretum arbitrium, ut ab his deliriis ne per tranſverſum unguem recedere religioni ſibi ducant; quodque juſto animi dolore proſequaris, paſſim in libris illorum ac ſermonibus audies, *hoc quidem de jure verum eſſe, ſed in praxi non obſervari*, quod Ovidiano illi conſonat

- - - - - - *video meliora proboq;,*
Deteriora ſequor. - - - -

Nempe apud pleroſque majus auctoritatis pondus obtinet unius auctoris exotici placitum audax, à Syllanianis uſque temporibus petitum, quàm divinæ legis naturali æquitati ſuffulta oracula quamvis contrarium nobis Canonum legumque præſcribat auctoritas, teſtante in hæc verba D. Iſidoro apud Gratianum, diſt. 11. *uſum auctoritati cedere debere, legiq; & rationi ſubjici*; cui aſtipulatur Thomas Aquinas p^a^. 2^æ^. q. 97. art. 1. *fruſtra* enim, ut Aurelio Auguſtino viſum eſt, *qui ra-*
tione

tione convincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate; imo veritas & ratio consuetudini præponenda est.

Reipublicæ tamen humanæ interest ab omnibus sciri Principes nostros non usque adeo Tiberii, Augusti cæterorumque Cæsarum placitis Judicum suorum suffragia mancipasse, quin infusus à Deo cuique mortalium rationis igniculus in judicium adhibeatur, quo administro liceat inquirere an Paganorum leges æquitati naturali jurique divino adversentur an conveniant. Hinc nobis duplici jure una lex imponitur, ut quæ semel & Deus & natura præscripserint, absque perfidiæ perduellionisque notâ transgredi non liceat. Quodque majore luctu prosequaris, majestatis divinæ vindictam ipsâ invitâ ac inconsultâ suscipimus, expressè admisso majestatis ejusdem crimine, dum leges suas Paganorum placitis in re mendacii convictissima posthabemus. Equidem Severo illi Alexandro Cæsari maximæ modestiæ laus quæsita est ex aurea lege illa quâ Paulino rescripsit, *Judicem non ideò teneri erga se crimine majestatis, quòd contra leges suas* *pro-*

L. 1. C. ad leg. Jul. majest.

pronunciasset. Idem sanè cunctis mortalibus quavis potestate polleant ex lege modestæ ingenuitatis convenit, se scilicet, ut hominem, errori obnoxium profiteri. Ipse etiam Lyricus hoc de idololatris Principibus cùm honore præfatur, quùm ait ad Augustum

Horat. lib. 3. carm. Od. 6.

Dîs te minorem quod geris imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.

Sed Deo falli nescio cunctaque providenti legum suarum spretus & ad mortalium, idololatrarumque inventa conversio impunis esse nequit.

Ut qui, amabo, Jureconsultis nostris rite officio religionique satisfactum videatur si vitam suam exegerint in evolvendis Romanarum legum Codicibus, totque interpretum supervacaneis opinionibus, quæ continuo in infinitum progressu, nobis tot legum luem reduxerunt, de quâ Tacitus jam inde à suo ævo miserè conquestus est? Quis Theologiæ initiatus doctrinam suam nobis approbet, si post repletas tot repetitis ethices Christianæque religionis præceptis, non ausus est palam quæ de torturæ iniquitate sentiat ingenuè proferre, eo solo nomine territus, quòd illam

Annal. lib. 3.

ad Christianorum Principum tribunalia admissam repererit? Tot ingentium voluminum editores, qui ad operum suorum mensuram magni audiunt, conceptæve de se opinioni respondent, dum cunctis Romani juris abusibus circa torturæ compertas tyrannides & mendacia subscribunt? Verbulum, si quod in Romanorum placitis invenerint, à tyrannis usurpatum, mordicùs arripiunt, illudque pro sacrosancto religionis suæ dogmate reputant absque piaculo non violandum, quùm tamen mille alia prætereant, quæ torturæ mendacia in utramque partem ingenuè prædicant. Unica Accursii aut alterius semibarbari Scholiastis glossula ad inhumanos divinoque juri contrarios usus transversos agit, quos ex adverso mille Pontifices, mille Doctores omnifariam Ulpianis & Accursiis cordatiores ad saniorem sensum non revocent.

Cap. XII.

Antiquorum de tortura controversia & judicia.

NOn defuere ex antiquis qui controversias, exercendi ingenii gratiâ, *M. Tullius. F. Quintil. M. Ann. Seneca.*

tiâ, ſuper torturæ bonâ aut malâ introductione meditati ſint, ſed expenſis utrimque diſparibus rationum momentis, pronum eſt cuique diſcernere, quicquid pro tortura dicitur nullâ ſoliditate niti, quùm ex adverſo quicquid in illam dicitur, ipſi evidentiæ innitatur; nam quid poſt homines natos injuſtius inventum receptâ illâ methodo ſeu praxi criminali, quæ nobis indicia obtrudit ad torturam urgentia ex infamibus & criminoſis in jure ſortilegii & maleficiorum convictis? Quid inhumanius Chriſtianiſque moribus abhorrentius, quàm reum incertum bis crudeliſſimo ſupplicio addicere; ſemel quidem quùm in illum de crimine incerto tormentis atrociſſimis inquiritur, iterùm quùm dubio ac mendaci experimento convictum, ignominioſæ ac duriſſimæ morti addicitur? quid Deo diſplicentius, quàm tot innocentes ad falſæ confeſſionis aleam compellere, quâ vitam, honorem ac facultates omnes ore proprio à ſe abdicant, ut ſe à crudeliſſima viribuſque humanis impari laniena mendaci confeſſione promptiùs expediant, invitis & repugnantibus humanis diviniſque juribus,
quæ

quæ nobis irrefragabilem talium confessionum falsitatem arguunt.

Nec Christiano nomini parùm decrescit, quòd tot juris utriusque interpretes, tot Theologi, qui tot ab hinc sæculis tragicos torturæ effectus compertos habent, mendaci potius leguleji testimonio innitantur, in re non dico dubiâ, sed centies ab ipsismet torturæ fautoribus mendacii erroris que convictâ, ac pessimè apud cordatiores Principes & Jurisconsultos audiente, quàm præscriptæ nobis à divina lege probationis omnimodæ methodo, scilicet commentariolum margineum incerti auctoris anonymi, nullâ ratione suffultum: Scriptoris Pagani inventum ab ipsa Syllæ Tarquiniique tyrannide petitum, ab ipsomet productore centies mendacii convictum, plus propagando errori apud Christianos auctoritatis obtinet, quàm Augustini, Pontificum, Theologorum, Doctorumque saniorum juge testimonium, quo torturæ fides omnis abrogatur & convellitur? At certè Patribus & Conciliis Oecumenicis sanctæque Romanæ sedi visum est ex re Christianâ, divinatorias sortes, vulgares purgationes, cæterosque con-

c. ex tuorum. extr. de purg. canon. & c. sententiam. cler. vel Mon.

c. Mennam. c. consuluisti. c. omnibus. 2. q. 5.

ſultandi modos quibus criminum occultorum veritas indagabatur, res perditæ inquirebantur, futurique rerum eventus exquirebantur abolere; Quòd ſortes illæ quamvis plerumque pacti expertes, plus incerti quàm certi ſortirentur, cur in mendacibus inquirendi modis mendaciorem non aboleamus, torturam ſcilicet, innocentium ſecuritati ac vitæ omnium infeſtiſſimam?

Sanè quùm hoc in opere ſolùm mihi propoſuerim Chriſtianæ Reipublicæ opitulari, Principum omnium Chriſtianorum pedibus accidere non vereor, humillimiſque quâ poſſum precibus efflagitare, ut hæc rationum momenta ſibi perlegi non dedignentur, quâque par eſt animi moderatione perpendere; proprium enim ac peculiare ſui muneris eſt, quùm hæ leges & privilegia ſolâ eorum auctoritate fulciantur, quâ quæque ratione nitantur inveſtigare. Atqui quùm vix à quoquam torturæ proceſſuumque ex legum fautore ſperare liceat ea ſe reprobaturum, quæ ſemel ipſo ſive uſu ſive abuſu probaverit, non vereor victima publicæ utilitatis fieri, ſoluſque telis omnium adverſantium me

obji-

objicere; frustrà enim à Regibus & Principibus expectatur, quamdiu sapientes & rerum periti commodo suo quàm veritati impensiùs studeant, ut quid æquum, quid iniquum in jure publico inveniatur, aut errore primùm & abusu mox inveterato vitio inoleverit comperiantur & abrogent, nisi hæc ab illis edoceantur quibus legum curæ demandata est; Ideò Magistratuum Judicumque officio satisfactum minimè arbitror, si hanc abolitionem à Principibus taciti expectent, nisi de compertis abusibus fidem faciant & attestentur, nunquam sanè potiori nomine gratiam Regum demerituri, quàm hâc ingenuâ torturæ iniquitatis professione, quâ divinæ justitiæ vindicta tot piaculis provocata, veterum abusuum abolitione sedetur & exarmetur.

Hactenùs, ut arbitror, contrariorum fundamenta destruximus; ex ipsis enim divinæ legis oraculis apertè convicimus, confessiones cruciatibus extortas processusque juri antiquo repugnantes, nec divinæ majestatis securitati conducere, neque expressæ illius menti respondere; quin etiam quæsitum ab humanæ societa-

tis commodo ſpecioſum errorem deterſimus; Supereſt ut doceamus, nec Eccleſiæ Doctores, nec ſacros Canones, quibus adverſarii enormes illos abuſus fulcire niſi ſunt, aut de illis omninò non meminiſſe, aut ſi alicubi meminerint, alieno à jactato à contrariis ſenſu loquutos eſſe.

CAP. XIII.

Expenduntur Juris Pontificii decreta circa torturam.

POſtquàm ſuperiùs docui, nec legem à Deo Moſis miniſterio Hebræis traditam, nec novam Chriſti legem de quæſtione per tormenta ullibi meminiſſe, quatuor omnino Canones in toto Decreti volumine reperio, in quibus tormentorum apud Chriſtianos fiat mentio. Primus eſt in prima ejus parte, diſtinct. 86. can. *non liceat*, ubi nihil aliud præſcribitur ſub Agathenſis Synodus auctoritate quàm, *non licere Epiſcopo manibus ſuis quemquam cædere*, nec aliud in margine additur, niſi, *poſſe quidem per alium facere, imò etiam propriis manibus, ſi aliunde executor non ſuppetat.* Nihil his verbis arbitror contineri qui torturæ fulciat aucto-

auctoritatem, quùm de sola correctione disciplinali agatur, quam nemo Prælatis in subditos unquàm negavit.

Secundus est quintus Canon, causa quinta, quæstione sexta, quo Gratianus Eusebii Pontificis auctoritate probare nititur, *veritatem tormentis indagandam*; sed glossa in verbo *religiosus tortor* ad solam correctionem totum redigit, solutionemque correctionis hujusmodi remittit ad Canonem secundum vigesimæ tertiæ causæ, quæstione quinta; isque tertius est locus in quo de pœnis statuitur. Ibi Divus Augustinus torturæ immanes cruciatus abominatus, Marcellinum Comitem laudibus prosequitur quod *non extento equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus tantorum scelerum confessionem eruerit*, adeoque orare insistit, *ut ne atrociùs vindicet quod leniùs inquirendi, quàm puniendi major necessitas est*; Quantum abest ut Romanæ nostratisque torturæ crudelem usum approbet.

Quartus denique locus est, canone undecimo, causâ duodecimâ, quæstione secundâ, ubi Gregorius Ponti-

sex Augustino Anglorum Apostolo rescribit, pœnas reorum sacrilegii ex qualitate delicti moderetur, *quùm quidam damnis, alij verberibus exercendi sint*; neque hic nisi de disciplina correctiva agitur, non autem de criminis incomperti quæstione; quin imò in reprobandis vulgaribus criminum occultorum probationibus in quibus Deus ad miraculum necessario arcessitur, Stephanus hujus nominis quintus Pontifex traditam nobis à divinis humanisque meliorum temporum legibus methodum suffragio suo confirmat: *Spontanea enim* (inquit) *confessione vel testium approbatione publica delicta commissa sunt nostro regimini judicare*; *occulta verò & incognita sunt illi relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.*

En, ut opinor, quicquid Decretum & Decretales Pontificum Doctorumque Christianorum epistolæ & rescripta nobis de torturâ memorant, quibus sanè nec de quæstione cruciabili quicquam statuunt, nec immanes quotidianosque ejus excessus quibus judicia nostra fœdè vituperantur, ne minimũ quidem approbant, sed quia torturæ sectatores nihil intentatum relin-

relinquunt ut suæ carnificinæ suffragentur, sanctorum quibus juventur inopiâ, Cypriani martyris verbis ad usum suum obliquè & ambiguè traductis pertinaciæ suæ effugium quæritant. Deteſtatur pius Antiſtes tyrannicas torturæ immanitates; & quia *veritatis* illi verbum semel excidit, illud ad sensum suum mordicùs arripiunt, Divoque martyri extorquére nituntur, quòd torturæ cruciatibus subscripserit. Verba religiosi martyris juvat hic ipsissima referre, ne lectori mutilis allegationibus imponatur. *Admoves* (inquit Cyprianus ad tyrannum Demetrianum) *Admoves laniandis corporibus longa tormenta. Multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atq; immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis.* Quis non arbitretur me hæc Marsilio aut cuipiam alii nostratium tortori improperare, qui trochleæ pensilis cruciatu, Florentinâ vigiliâ, aut Bodini Turcarumque tormentis quæstionem in reos exerceat? Ipse tamen Cyprianus sic tyrannum Demetrianum alloquitur, spiritu prophetico temporum nostrorum immanitatem increpans. *Excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas;*

Delr. disquis. l. 5. sect. 9. §. abstinendum. e. de tortura.

Epist. ad Demetrianum.

quæ est hæc insatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido sævitiæ? En Farinacii vigiliam atrocesque Tuscorum cruciatus, quos quotidie Quæsitores agglomerant, prætextu criminum atrocitatis. *Si pœnam tuam metuens* (prosequitur martyr inclytus) *id quod priùs fueram, & quod Deos tuos non coluetam mendacio celarem, tunc torquendus fuissem, tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus, ut facinoris veritas quæ indice voce non promitur, dolore corporis expromeretur.* Quis adeò cœcutit ut non videat, virum aventem martyrii diabolicos torturæ cruciatus tyranno exprobrare, Paganorumque loquendi modis Paganum Demetrianum alloqui? Sic Divus Augustinus, quùm torturæ iniquam tyrannidem Idololatris objiceret, iisdem penè verborum formulis usus est. Sanè delirantis est non eo sensu prædicta intelligere, ut vir sanctus non plus veritatem violenter extortis confessionibus tribuat, quàm Christianæ religioni criminis nomen. At apertè id profitetur, non quòd ex acerba tortura veritas germana prodeat (ut ex adverso prætenditur) sed quòd tyrannus ex idololatriæ moribus tormentis experiri non desti-

destitisset, ut doloris immanitate veritatem objecti sibi criminis erueret; crimen autem illud quod aliud est quàm idola non coluisse? unde vel Bardo cuilibet apertè liquet sanctum martyrem ad Paganos Paganorum vocabula, solitumque rimandæ criminum veritatis modum regerere. Nonne ex comperto fatendum est crudeli huic carnificinæ mordicùs inhærentes Paganorum genio possideri, quandoquidem ut sibi dicta interpretantur & arripiunt, quæ sanctissimus Christi martyr Tyranno idololatræ exprobravit?

Cap. XIV.

Nullam dari paritatem inter confessionem sacramentalem, & voces tormentis expressas.

EN eximias auctoritates quibus, in meliorum defectum, torturæ assertores abutuntur. Scio, his non obstantibus plerosque Canonistas & Theologos torturam potiùs, ut inveteratum errorem de cujus abolitione desperent, quàm ex quæsito boni publici prætextu hactenùs approbasse. Sed ut perspicuè convincamus con-

trario-

trariorum opinionem nullo ſolidæ rationis fundamento inniti, quæro ex Delrio cui rationi paritatis inſiſtat argumentum quod à ſimili utriuſque confeſſionis commentus eſt? violentæ, inquam, & ſpontaneæ? criminalis & ſacramentalis? quâ, inquam, veriſimili paritate innuat, ſtandum confeſſioni ſortilegii aut criminis alterius atrocis & obſcuri vi cruciatuum expreſſæ, eò quòd in foro pœnitentiæ ſtetur confeſſioni pœnitentis, atque adeò utrique fidem deberi; unde ex poſito ſemel abſurdo, ad abſurdius progreditur, nempe quúm in foro contentioſo confeſſio hæretici pro verâ habeatur, idem ex ratione analogicâ de confeſſionibus latroni, ſacrilego, adultero & homicidæ extortis credi debere.

Lib. 5. ſect. 16.

Ut ad præmiſſa ordine reſpondeam, primùm prætereo nullam dari paritatem inter crimina ſenſibilia, ut ſunt hæc noviſſimè poſita, & crimina quæ Dæmonum præſtigiis ſubjacent, ut eſt illud ſortilegii, quatenùs ſortilegium, neque inter contritionis effectum in anima verè pœnitente, & dolorum corporeorum quæſitam mendacio ceſſationem; jam enim ſupra

pra de istis disseruimus. Id solum juvat addere, adversarios forsitan arbitrari solam illusionis suspicionem sortilegii reorum confessionibus obesse quò minus fidem Quæsitori faciant; Sed ex alio etiam defectu præsumpta ab eis analogia claudicat, nempe quod nulla detur paritas inter confessionem Spontaneam, & vocem coactam quam torturæ immanitas quantumvis insontibus excutit, de quâ nobis sermo est. Imò ex Diametro pugnat utraque confessio, seu ipsammet, sive ejus effectus consideres; Spontanea enim veniam sperat, imò & necessariò ex Dei promittentis verbo consequitur; reticentia supplicium & damnationem importat; ex adverso, coacta & tormentis expressa, quamvis de veritate quæratur, supplicium & damnationem efficit, reticentia impunitatem, famæque & bonorum incolumitatem. Mitto alias non leves circumstantias & peristases quæ confessioni sacramentali conveniunt, judiciali verò nedum coactæ & mendacii suspectæ, sed nec spontaneæ quidem commodè adaptantur; videlicet, quòd illa pœnæ ac præjudicio non reparabilibus haud subjaceat,

ut

ut judicialis, quæ reo bonorum famæ & salutis irreparabilem jacturam operatur, & quæ toti inposterùm familiæ ignominiæ notam ex vulgi placitis videtur inurere, quùm fori interioris durior animadversio nec pœnitentis sponte confessi, nec præsentium aut posterorum famæ quicquam inurat. Mortis enim Rei pœnam Confessoris facultas & caracter non admittunt. Ad bonorum autem omnium jacturam solâ restitutionis immensæ necessitate devenitur, quod ferè nunquam aut raró admodum accidit, & si quando id necessitas exigat, hæc injuncta secretò restitutio velo sacramentalis silentii pœnitentium famæ consulit, neque unquam ad agnatos, affines necessariosque porrigitur; Ex adverso torturæ immodici cruciatus reum, quamvis innocentem adigunt, ut prædictorum immemor, quæ ab eo Quæsitor cruciatibus intolerandis exigit, mendaci ore repugnantique animo in spem solatii proferat.

Sed eò potissimum omnis analogiæ ratio ab hac confessionum collatione exulat, quòd violenter extorta confessio nunquam probationis integræ,

ne

ne quidem apud rigidissimos Capitalium Quæsitores vicem explevit; Jam verò, quùm jura negent *sponte de se fasso, nisi aliunde concurrant indicia, fidem non adhibendam*; quid ni dubitare liceat in famæ, bonorum vitæque discrimine, quantavis indicia præcesserint, præsertim quùm Divo Augustino auctore doceamur, nullam, unquam de harum confessionum veritate certitudinem posse nobis illucescere, nec aliam à summis Pontificibus sacrisque Ecclesiæ legibus confessionem ad secretorum criminum probationem præter spontaneam de Christianorum more recipi.

text. in §. si quis ultrò l. 1. ff. de qu.

l. 19. de Civit. Dei. c. 6.

d. c. consuluisti. 2. q. 4.

Non hic de sola illusione agitur quæ confessiones in sortilegii quæstione à criminum sensibilium confessionibus disterminat, ut malè supponit Delrius, ex capitalium Cognitore Theologus. De torturæ compertis mendaciis agitur, cujus intolerandis cruciatibus insontes potissimùm solis indiciis ad id tyrannidis adacti, quicquid à Quæsitore inquiri compererint, illud ad redimandas quas ipse Diabolus invexit pœnas proprio ore mortem in solatium aucupantur. Quid Paganorum idololatriæ con-

gruentius, quàm ab *ipsa voce mendacij* (ut sacra pagina loquitur) veritatem inquiri, compertumque toties falsitatis organum, ut quondam Pagani Sybillæ oracula, in perniciem innocentium adhibere? Quùmque legum ipsarum concinnatores, Theologi & Canonistæ uno ore torturæ falsitatem asserant, ut quid inter spontaneas & coactas confessiones analogiæ paritatisque ratio coalescat? Sed si solâ confessione spontaneâ veritas eruitur, ut Stephano Pontifici legibusque sanioribus visum est, cur non ex contrariorum disciplina inferant torturæ propugnatores, coactas & violentas confessiones non illam nobis exhibere probationis certitudinem aut claritatem, quam Romanæ leges in criminalibus exigunt? Hoc ingenuè nobis testantur qui miserè tortura pereuntium confessiones exceperunt. Hoc Lessius, hoc Tannerus, hoc criminalis cautionis auctor Speneus, omnes Jesuitæ, omnes miserorum tortorum Confessores, innumerique alii uno ore fatentur, semoto omni affectu sordidoque marsupii fiscique compendio, aut præsumptæ jurisdictionis præjudicio; Cur non ex piis ac sinceris
horum

horum ſuffragiis rem potiùs non dirimimus, quàm ex eorum pertinaci tenacitate, qui pro more gentis, judiciorum muneriſque lucroſa compendia ex damnatorum capitibus fiſcique proventu licitantur.

Hoc in Germania fieri aſſerit pen. auct. caut. crimin. cap. L. 4. c 4. qu. 5. ſect. 2.

Quàm æquiore ſententiâ Delrio reſipienti quandoque viſum eſt, nobis ex neceſſitate non incumbere, vias periculi plenas ingredi ad criminum occultorum incertam indaginem *Præſtare centum ſagas abſolvi nocentes, quàm ut per talem probationem innocens una mulier condemnetur vel ſaltem periclitetur; At illa* (inquit) *deterior fiet dimiſſa. Tibi certè minimè; ſed ſibi potiùs nocebit. Conſequitur illam Nemeſis ſua. Dicerem lubens ſuper his ſcrupulis: Trepidaverunt ubi non erat timor*; ſed & Canonum auctoritate docemur, ideo purgationes vulgares exoleviſſe, quòd ſæpiùs innocens in illis famæ ſalutiſque aleam ſubibat; cur non eadem ratione concludere liceat, idem de tortura ſtatuendum, quùm ex ipſis torturæ aſſertoribus doceamur innocentibus manifeſtum in torturæ mendaci examine creari periculum?

argum. d. c 1. de purgat. vulg.

CAP. XV.

Ultimum torturæ assertorum argumentum ab eo quod sæpius usu venit in eos retorquetur.

SUperest ultimum torturæ sectatorum propugnaculum, ad quod, à cæteris pulsi, tanquam ad sacram anchoram confugiunt. Hæ, inquiunt, confessiones rarò admodum fallunt; Atqui in condendis exequendisque legibus id solum attenditur, quod sæpiùs usuvenire solet. Hanc sententiam lubentes amplectimur, sed huic in casu nostro locum non esse constanter asserimus. Antecedens enim hujus enthymematis, aut si syllogismum mavis, ex quo torturæ usum retinendum concludunt, talis, inquam, syllogismi major & primaria propositio falsissima est, violentæ enim confessiones plerùmque mendacii sunt suspectissimæ, neque unquam certum veritatis indicium exhibent. Sed si (ut post Divum Augustinum, legesque ipsas Romanas inquit Ludovicus Vivez) frustra ex tyrannorum sævitie tormentis veritas inquiritur, quam nec qui pati poterunt proferent, nec qui pati non poterunt, quid ni ex ipso-

Comment. ad c. 6. lib. 19. Div. Augustin. de Civit. Dei d. §. quæstioni, & §. si quis ultrò. l. 1. ff. de quæst.

ipſorummet Quæſitorum confeſſione concludamus, pro lege reputandum quod ſæpius his in caſibus uſuvenit, atque adeò à republica uſuque noſtro eliminandam probationem, ſemper quidem falſi ſuſpectiſſimam, nunquam autem veri aut certi ne minimum indicium præbituram?

Hujus concluſionis robur nulla ratione elidi poteſt, quùm ex ipſiſmet torturæ aſſertoribus nobiſcùm de hoc ipſo conveniat; quid ſi eò moliantur effugium, quòd quandoque convictioni accidat ut ex falſis teſtibus non reprobatis conficiatur; reſpondeo falſarum convictionum frequentiam falſis torturæ confeſſionibus nullatenus æquari poſſe, quùm quotidiano experimento compertum ſit, pro uno falſis teſtibus convicto, mille torturæ mendaciis quotidie obrui. Huic pereuntium inæquali numero Judicum cautiones adjungendæ ſunt, in hac probandi differentia. Et in primo quidem probationum genere, convictione, inquam, per teſtes, omnibus juris cautionibus ad indagandam veritatem utimur, atque adeò in ipſis probationis auſpiciis divini juris præſcripto defendimur, quo cujuſcum-

que generis flagitia ſolâ convictione rimari præcipimur. Quod ad nos attinet, pro virili ſatagimus, ut ne quid innocentiæ ſubſidii denegetur. Reos ad teſtium reprobationem refellendamque teſtatorum fidem admittimus, fatales ad defenſionum momenta terminos eatenùs prorogamus, quatenùs eluendo crimini probandæquæ innocentiæ ſpes illuceſcit. Procuratorum demùm & Advocatorum patrocinium ex officio indulgemus, ne quis indefenſus pereat. Ex adverſo, in occultis exceptiſque (ut ajunt) criminum proceſſibus ad torturam leviſſimis ex indiciis provolatur. Rumori villico aut plebejis ſuſurris fides accommodatur, infamium juris & facti delationibus ſtatur, non ipſis modò meliorum temporum Romanis legibus ſed divini juris expreſſo juſſu reprobatorum, ipſis etiam criminis complicibus, juratis ex comperto humani generis hoſtibus, quatenùs ſortilegis, calumniandi via impunis ſternitur; quùmque in his criminum occultorum proceſſibus Judicum arbitrio tot permittantur, totque inſuper præter communia jura ſibi arrogent, laxiorum juris interpretum placitis in-

Deut. 19, 15. & 17, 6. Matth. 18, 16.

inhærentes, praxim ſuam juri antiquo præferentium, non immeritò arbitrére in confeſſionibus extortis omninò à falſitate detegenda aborreri; quin imò, quod etiam ipſi Delrio nimiùm ſanè licenter probari video, ſimulationibus in ſpeciem veri adumbratis graſſari permittitur. Ipſius Delrii verba ſunt ipſiſſima: *Poterit Judex uti æquivocatione & verbis ſubdolis & ambiguâ promiſſione liberationis, ut reum inducat ad fatendum*; & paulò inferiùs: *imputet ſibi reus quòd non ſubtiliùs ſenſum verborum ambiguorum diſcuſſerit.* Hæc ſanè, nedum Theologum, nec Chriſtianum redolent, ſed nec Paganum quidem benè moratum; quùm, referente Gratiano in Decretis, ab Auguſtino doceamur, *nec artificioſo mendacio nec ſimplici verbo oporteat quemquam decipere.* Adeò tortoribus illis proceſſuumque exlegum aſſertoribus omnimoda ſcabies penetralibus inhæſit, ut titulo exoſi flagitii ad quæque devia præcipites, ſola ſupplicia reſpirent, avidèque ſectentur & aucupentur.

Lib. 5. ſect. 10. §. ſed nota.

Quin potiùs legum Romanarum auctoritati rationique inhæremus, quæ huic torturæ falſitati aſtipulantur?

tur? Nempe glossam seu Commentariolum anonymum sectamur, nulli auctoritati rationive subnixum, nullique hactenus legum Romanarum interpreti satis expensum; quodque caput est, de solâ servorum confessione loquutum; quùm tamen vel rudioribus ingeniis liqueat, servos qui soli apud Romanos tormentis subdebantur, Dominorum aut cujusvis alterius accusati pernicie salutem & incolumitatem propriam redimere potuisse, quùm super facto alieno interrogati, Quæsitoris (ut ait Tullius) propositum semel cogitatione adepti, confessione ad torquentis mentem accommodatâ, ut plerùmque fit quùm innocens ad falsam confessionem adigitur, solatium sibi requiemque pararent à tormentis. At in nostris quæstionibus nullus absque propria pernicie fateri potest; omnes enim de facto proprio interrogantur, nec fassi quicquam vitæ suæ consulunt; sed solâ morte bonorumque ac famæ jacturâ immanis carnificinæ rabiem sibi redimunt. Denique nulla retractatio quantumvis falsæ accusationis, confessionis aut indicii admittitur; quin imò ipsa veritas in os reorum

novis

novis aut repetitis aut ſpecioſo commento continuatis cruciatibus retruditur; nec pœnitentiæ nec correctioni ſemel extorti mendacii locus eſt, dummodò quæſito crimini confeſſio aſtipuletur, quæſitoriſque aviditatem impleat, donec miſerè ac immaniter laniatum poſt cruciatus acerbiſſimos, quos ne crimen quidem pro quo torquetur liquidâ convictione compertum pro medietate mereretur, ad infame ſupplicium bonorumque ac honoris jacturam reum incompertum adigat.

Neque ipſe Delrius tormentorum immanem illam ſeu continuatam ſeu repetitam ſeriem negaverit, poſtquam faſſus eſt in Germania hominem vicies tormentis repetitum. *Carolus* (inquit) *Bithœus vir clariſſimus mihi narravit hominem vicies ſævæ quæſtioni ſubditum*; quumque ad hæc exclamet: *En Judicum clemens arbitrium quò ſe porrigat in illis partibus Aquilonaribus*; ipſe tamen, dum Maſcardos & Farinacios ſequitur, non veretur ad tertiam uſque repetitionem tormenta prorogare, quoties aut tortus Quæſitoris quæſitis non firmiter adhæreat, aut nova indicia emorienti lanienæ ſupervene-

L. 5. ſect. 9. §. quo ad tertium dubium.

id. ibid. §. quoad iterationem.

venerint. Idem video cunctis capitalium cognitoribus usuvenire, invitis scilicet antiquo jure, legumque sanctionibus, praxim immanem neotericorumque placita pertinaciter sectari. *In atrocibus* (inquit Bodinus) *omnia hæc ludibrio sunt & pro nihilo reputantur*; quod si hæc abusivè fieri interjicias; respondeo, torturæ sanum usum non reperiri, quùm ipsa merus sit ac germanus abusus, tyrannorumque inventum immanissimum; quæ sanè Diabolica sævities omnem humanæ communisque temperaturæ vim exuperet; Idque potissimùm si pro nostrorum recepto more pluries repetatur, præclaro novorum indiciorum invento suffragante. Quid si Marsilius cùm Binsfeldio, Claro ac Delrio in subsidium advolent, vigiliamque suam Florentinam ingerant? quid si Delrius appensis ad torti pedes ponderum saxorumque molibus, ingestâque in pendentis scapulas frigidâ, cæterisque carnificinæ appendicibus sæviat, nonne tibi sanctorum martyrum immanem lanienam dirosque martyrii apparatus repræsentari fatearis? hoc sane discrimine, quod à Paganis hæc tormenta in supplicium
præ-

præſumptæ impietatis in Deos ſuos martyribus adhibebantur, hîc verò à Sacerdotibus & Judicibus Chriſtianis incerto etiamnum quærendoque crimini immaniter exercentur.

Fruſtra denique torturæ avidi ſectatores diſpari exemplo torturæ mendacia convictionis incertitudini conferre moliuntur, quùm abſque impietatis crimine humani abuſus, ſeu mavis inventa tyrannica legis divinæ ſanctionibus æquiparari nequeant; expreſſis autem divinæ paginæ legibus ſola per teſtes convictio ad quorumcumque atrocium, quantumvis occultorum criminum probationem præſcribitur; quodque adverſariis os obſtruat, in convictione per teſtes, ſi quid mendacii irrepat, id omne teſtibus imputandum eſt, ſalvo Judicis officio; at in confeſſionibus extortis, omne opprimendæ innocentiæ periculum Judicibus acceptum refertur, ſolamque Quæſitoris ac juris interpretum violentæ lanienæ mendaciique extorti conſcientiam prægravat.

Scio torturæ aſſeclas ad ſilentium compulſos, quod jure rationeque nequeunt, facto, receptoque pridem ab-

uſu propugnaturos. In his nempe proceſſibus *iniquitati quæſitum privilegium, juris antiqui formulas exulare, criminis atrocitatem probationumq; difficultatem teſtibus aliunde rejectis & reprobatis fidē conciliare.* Hæc & ſimilia rudioribus ingeniis, ſoliuſque ſemel invectæ praxis capacibus ingerunt; Sed quibus purius rationis lumen affulſit abundè compertum eſt, nihil apud Dialecticos paralogiſmo futilius. Latini *petitionem principij* modum hunc ratiocinandi definiunt, quando ſcilicet ex ipſa re controverſa conſequens elicimus, quæſtionemque ex abuſu ſolvimus; ex ipſis enim Romanorum legibus conſtat, criminis atrocitatem non priùs inſpici, quàm de crimine admiſſo reus legitima convictione teneatur, ut pœna demum delicto reſpondeat; Tantum abeſt ut tyrannico odio in reum ambiguum armari debeamus, eique debita defenſionis ſubſidia denegare.

L. 7. ff. ad leg. Jul. majeſt.

Crimen majeſtatis (inquit Modeſtinus) *non ob principalis majeſtatis venerationem in occaſionem ſæviendi rapiendum eſt, ſed ex ſola rei veritate exercendum*; en quoad criminum atrocitatem, quid Romanæ leges ſtatuant; ſed ſi ex ad-

versò

versò regerant, expedire ut innotescant & puniantur, ex animo quidem annuimus, sed invicem regerere liceat, non minùs expedire bonorum incolumitati consuli adversus comperta torturæ mentientis pericula quæ sanè cuivis innocenti à judiciis exlegibus impendent. Fateor expedire nosci crimina criminumque auctores ut puniantur; sed constanter inficior criminum indaginem modis fallacibus & mendacii convictissimis extorquendam, quibus scilicet nulla repertæ veritatis certitudo nobis remanet. Quid si absoluta & clara convictio per testes desperetur idoneos, Gregorius Magnus & Stephanus Tertius summi Pontifices nos in in Decretis monent, ut quùm criminis auctor ægrè investigari possit, etiamsi de crimine liqueat, Deo relinquendum judicium, quin ipse Deus in nova lege nobis præcipit, ut ne innocentum vitam, studio nocentes puniendi, periculis objiciamus.

d c. cùm in lege. §. his itaque. 23. q.4.

Matth. 13, 29.

Post tot tantaque divina humanaque jura nobis ex comperto suffragantia, non video quicquam adversariis effugii relictum quo se à Romanis legibus

gibus ſanioris ævi, à ſacris Patrum ſancitis, ab Evangelica lege, à jure naturali divinoque antiquo, ab ipſomet humanato Deo in nova lege proprio ore confirmato pertinaciter tueantur. Dixi ſuperiùs omnia divina humanaque jura violari in abuſibus paſſim committi ſolitis in proceſſibus anomalis; quid enim juri divino pugnantius, quàm vocem mendacii, quo nomine tortura ab ipſiſmet torturæ aſſertoribus nuncupatur, in teſtem adhiberi? quid voci mendacii convenientius, quàm ſortilegos convictos, humani generis hoſtes infenſiſſimos teſtes admittere, eorumque indiciis negotium cuivis probo & innocenti faceſcere? nam quid contraria ſentientibus ſupereſt objiciendum? Clarumne aut Binsfeldium præferent Auguſtino, Gregorio, Pontificibus & Eccleſiæ Doctoribus? Marſilioſne & Farinacios, Quæſitoreſque criminalium Theologos, id eſt, torturæ proceſſuumque exlegum aſſertores, innuent in jure divino defectus inveniſſe, qui ſcilicet ex Binsfeldio, Claro & Farinacio ſuppleantur, aut, quod atrocius & inſanius eſt, à Syllæ, Tarquinii

nii Superbi, Octaviani Triumviri cæterorumque infidelium & idololatrarum tyrannicis edictis supplementum aut correctionem emendicentur?

CAP. XVI.

Spinei Quæsitorumq; sortilegii levitas arguitur, Dæmonem ipsum in testem admittentium.

DIxi vocem mendacii, contra præceptum divinæ legis, in his processibus admitti. Dictum sic probo. Quid Cacodæmone à veritate abhorrentius, quùm pater mendacii communiter audiat? Hunc tamen quandoque sortilegii Quæsitores in testem admiserunt. Ut verum fatear, centies mirari subiit graves Theologos qui Jurisperitis insultant, leguleios, fori rabulas, & quicdquid sibi licere magistrale supercilium præsumit aspernabundi vocitant, tam fœdis allucinationibus irretiri, ut malum Dæmonem in hominum perniciem testimonio adhibeant; nec his contenti, bilem sibi moveri patiantur, si quis interdum solidis rationibus auctoritateque divini juris his erroribus occurrat. Equidem non mirarer quen-

Exod. 23,1.

Barth. Spin. Apol. 1. & 2. in Ponzinib. Mart. Delr. passim.

Barth. Spin. Apolog. in Ponzin. 1. c. 9.
Delr. l. 5. sect. 16.
Jean Boguet en son Discours contre les sorciers ch. 1.

quendam de grege novitiorum, rerumque imperitum scriptorem; aut literarum rudem his erroribus implicari, moreque Pythagorico in verba Magistrorum jurare; quùm Bartholomæus Spineus ipsi Delrio, Delrius Bogheto nostro persuaserit, Diaboli testimonium in caput hominum admittendum. At Bodinum, tantæ eruditionis virum, in eosdem erroris laqueos impegisse, abmbosque illos tanti nominis Theologos eadem libris suis inseruisse quis non stupeat? Hæc seriò repensanti subit præjudicii tyrannidem mirari, quòque semel concepta opinio, doctiores non secus ac ignarum vulgus quandoque transversos agat. Primus Bartholomeus Spineus in hæc sensa prorupit. *Adeoque nunc* (inquit) *pestis ista invaluit* (de sortilegis loquitur) *ut dixerit in quadam concione Diabolus, qui in forma Principis apparebat (ut retulerunt qui affuerant nonnulli ab Inquisitore deprehensi) sitis omnes bono animo, neq; enim elabentur anni multi quòd numero superabitis Christi fideles.* En eximium testem cui de sortilegorum numero fides adhibeatur?

Nec parùm huic errori suffragatus & Bodinus, dum assertis à nebulone

Ceno-

Cenomano Magiæ & ſortilegii convicto ſupplicioque capitali à Carolo Nono Galliarum Rege exempto, Triſcalini nomine, ſub conditione ejuſdem criminis complices indicandi, fidem queritur negatam. Erepto enim compertæ nequitiæ homine, Dæmon voti compos, tantam hominum multitudinem mancipio ſuo perdendam ſuggeſſit, & inter alios, regni primates, ut ſpe non inani duceretur numerum & ſortem tot principum virorum hujuſmodi quæſtionibus remoram allatura; quin, ſi tali teſtimonio & indiciis fides adhiberetur, fore ut quotquot innocentes ad certam perniciem deſtinaſſet, hos facili negotio perderet. Obſtitit conceptæ ſpei ſummi Magiſtratus vigilantia, quæ fidem Dæmoni ex mancipio ſuo loquenti abrogavit. Sed feliciore ſucceſſu votis non omninò cecidit calumniator, pleriſque enim omnibus legum peritis capitaliumque cognitoribus qui poſt Bodinum de ſortilegio meminerunt exinde perſuaſum video, Satanæ per Triſcalinum ſuum loquenti fidem ſuper his indiciis injuſtè fuiſſe denegatam. Hinc Delrio Bodinoque graves querelæ. *lib. 5. ſect. 2.*

Quis

Quis adhuc negare audeat zelum præposterum diris nos erroribus irretire, quùm Patri mendacii Satanæ genus humanum calumniandi mendacique aut certè mendacii suspectissimâ jactantiâ de asseclis suis glorianti fidem apud Theologos & juris peritos conciliet, nempe ut sortilegii nos omnes suspectos efficiat, præsumptamque hujus sectæ multitudinem apud credulos foveat, ut inde credatur indiciis, deturque perpetuâ serie progressus ille in infinitum, torturâque in subsidium tam bellæ probationis advocatâ, suppliciis injustis, quos sibi libuerit innocentes adigat, resurgat Diocletiana ac Heroniana tyrannis & laniena.

CAP. XVII.

Horrenda non minus quam absurda Delrij placita circa torturam.

Apol. 3. in Ponz. UTinam Delrius judiciorum capitalium priorisque officii immemor soli Theologiæ studuisset; nunquam sanè suffragio suo tot absurda in judiciis criminalibus approbasset. Sed postquàm, auctore Spineo, Jurisperitos in sortilegii quæstio-

ſtionibus cœcutire ſtomacabundus edixit, perperam ſanè præpoſteroque judicio Claros ſibi Farinacioſque ſequendos propoſuit, eorumque ad verbum excerptis inhærens placitis, cæcos ſibi in tantis tenebris viæ duces præfecit. Quid ſi tanto rerum capitalium ſtudio captus erat, ut inde nomen eximium quæreret, mihi quidem congruentius feciſſe videretur, ſi capitalium judiciorum abuſus ſuffragio ſuo refelliſſet, quàm nobis auctor fieri, ſpernendas retractationes in articulo mortis ab inquiſitis ſortilegii factas, nempe quòd falsò quempiam hujus criminis vi cruciatuum inſimulaſſent, eo ſolum ductus momento, quòd nonnulli rerum capitalium interpretes non recipiendas arbitrati ſint. Nec meliori jure opinatus eſt cum iiſdem, omnes ſortilegii inquiſitos, etiam antequam de patrato crimine conſtiterit, tanquam ſortilegos & hæreticos habendos; *quùm in hoc caſu omne privilegium ceſſet*; non enim animadvertit, ſolam convictionem reum conſtituere, atque adeò, quouſque de crimine patrato non conſtiterit, inquiſitum ſortis ſuæ prærogativâ uti debere, ex vulgato illo juris axioma-

lib. 5. ſect. 5. n. 5. Judici parùm curandum eſſe hujuſmodi palinodiam.

ibid. ſect. 7. §. quoad perſonas nobiles.

te, ſemper pro innocentiâ præſumi, donec de flagitio peracto conſtiterit. Nec ſaniùs ſuffragio ſuo ſancivit: *in tortura cavere Quæſitorem debere ab oſſium fractura, ſed à compagis ſolutione luxatione que abſtinere non poſſe*; Nonne optimè & ex Chriſtiana ſacerdotalique manſuetudine torturam mendacii compertum organum moderatur optimus Theologus, dum Juſtiniani Paganorumque juris Romani conditorum, quibus tales exceſſus improbantur, leges & præcepta tranſilit, tyrannorumque accedit immanitati?

eod. ſect. 9. de tortura. §. torturæ modus.

Auth. ut nulli judic. §. quia verò.

Quarto (horret animus hæc à ſacerdote & Theologo referre) *Judex*, inquit, *novis tormentis in quemquam reum uti non debet; ſed in quæſtione ſortilegij aſſuetis debet acquieſcere, nempe trochleæ penſilis cruciatu tenui fune ſuſpenſæ, infundendo aquam frigidam reo inter ſcapulas dum brachiis ex trochleâ pendet. Poterunt etiam ſuſpendi ex ejus pedibus quædam pondera ad augendam corporis molem, divaricatis etiam paxilli operâ pendentis cruribus, ut acerbiùs doleat. Denique vigiliâ uti Quæſitor poterit, quod tormenti genus omnium optimum eſt.* Dicas Buſiridem aut Phalaridem hæc immanitatis tyrannicæ monumenta poſteris reliquiſſe;

d.l.5.ſect.9. § torturæ modus. verba ipſa Delrij cujus libri mihi hactenus non ſuppetunt, excidiſſe mihi potuerunt, ſenſus ſanè non excidit, etſi verbis meis expreſſus, contulat Lector ipſû Delriû ſuis terminis

quiſſe; utor autem in his obſervationibus præſtito mihi cæteriſque Laïcis hominibus jure, quo Delrius ipſe argui à quolibet noſtrûm ſponte voluit, ſi quid acriùs & inhumanius placitis ſuis inſeruiſſe deprehendatur; quùmque ille toties acerbè in Juriſperitos invectus ſit, eò faciliùs adducor ut credam idem in eum mihi licere, ſervato tamen, ut par eſt, æquo moderamine erga multimodæ eruditionis virum. Melioribus ergo ductus avibus, ſolâque ratione mihi prævia, exploſâ Tortorum immani feritate proferre non vereor, torturam, quùm ſit examen fallax, mendaciique ſuſpectiſſimum, ex quo nulla veritas eluceſcat, quò plus augebitur, eò periculoſiorem innocentibus evaſuram.

loquentem; comperiet me à ſenſu ſuo non aberrare in ſuis referendis.

Deſcribant ſanè pro libitu ſuo Flaminius Cartarius Proſperque Farinacius, quorum veſtigiis conniventibus oculis inſiſtit Delrius, inventa illa tyrannorum ſuorum, nunquam tamen id à me conſequentur, ut diris illorum opinionibus ſubſcribam, neque unquam à tortura auferent, quin tyrannorum inventum jure audiat, viaque erroris & mendacii, ac probatio fallax & erronea à ſanis omnibus ubi-

que reputetur. Hanc Christianæ Reipublicæ labem invexere libri legum Romanarum Pisis ante aliquot secula reperti, quùm antea mediis ill s temporibus & Gothi Orientales & Occidentales & Longobardi & Franci & Burgundiones & Ripuarii, omnesque Teutonicæ gentes, imò & ipsi Itali modis aliis in capitalium quæstionibus uterentur. Hæc nempe à cunctis horum temporum scriptoribus edocemur; primis enim septem post Christum natum seculis, quotquot Europam gentes incolunt, post excisam Romanorum tyrannidem, purgationibus vulgaribus fervidâ aut frigidâ aquâ aut ferventis ferri laminâ aut ignito vomere, aut denique singulari certamine, potiùs quàm torturâ res dubias investigabant; Quin imò gentes illæ Christi sacris initiatæ probationem æmulabantur quam Moses ex aquâ maledictâ quondam Judæis instituerat; & quamvis in his probationibus nullum cùm Dæmone pactum intercederet, cunctaque à Judicis decreto auspicarentur, & ab Ecclesia, ipsis etiam sacerdotibus administris, præcedentibus exorcismis expedirentur; summi tamen Pontifices,

Numer.5, 17.

re ſeriò perpensâ, attentoque vulgares illas purgationes antiquæ legis præſcriptis ſecuritate non reſpondere, quùm pactum expreſſum à Deo, ſolo miraculorum patratore, cùm populo ſuo initum, quo aquæ ſic adjuratæ efficacia tribuebatur nullibi dubiis illis ac periculoſis probationibus attributum reperiretur; quin imò ſæpè innocens ut verè nocens ſupplicio addicebatur, Deo tentationi, quâ poteſtas ejus in judicium vocabatur, non annuente, omnia illa probationum genera quibus iñocens periculo exponebatur abrogaverunt; Cur nos pariter torturam quæ ex diametro abolitis illis probandi modis reſpondet, non abrogemus, quùm iiſdem, imò majoribus periculis abundet, feritatemque Dæmonum tyrannorumque immanem ſævitiam redoleat?

Dignentur igitur auctores contrarii nos ab illorum claſſe eximere, quos pro ſui libito indiciis ſuis ad quæſtionem, ad torturam, & penè ad damnationem de ſortilegio urgentibus ſubjacere arbitrati ſunt; nobiſque benignè parcant ſi cunctis Maſcardi, Clari, Farinacii, Grillandi, aliorumque placitis quæ ipſi pro oraculis reputant,

in ſortilegii criminumque privilegiatorum proceſſibus uſuque torturæ ſubſcribere in animum noſtrum non inducimus, quùm ex adverſo argumentis luce meridiana clarioribus convicerimus, ſolos innocentes in illis abuſibus de ſalute periclitari, quùmque fateri cogantur ipſimet adverſarii, flagitioſos & ſortilegos pacto indolentiæ, ſomni aut ſilentii, durioris temperaturæ reos, dolendi conſuetudine, robore athletico, aut quæſitis malis artibus aut naturali pharmaco patiendi ſubſidiis tutos à doloribus & confeſſione, manifeſtò ſequitur, ſolos innocentes ad mentiendi neceſſitatem tormentis adigi.

CAP. XIIX.

Torturæ auctoritas ab ipſo fonte repetita iterum & noviſſimo ictu radicitus extirpatur.

DEnique, ut uno ictu præcidamus conceptam de torturæ oraculis credulitatem, plagam noviſſimam imis radicibus impingamus. Satis conſtat Tullium quo orandi ſtudio ferebatur, hanc hæreſim ab Ariſtotelis Rethorica hauſiſſe. Nempe Arpinas

nas ille ſophiſta naturâ facundus & eloquens, quique famæ & fortunæ eloquentiâ ſuâ ambitiosè velificaretur, à Græcis dicendi peritis omnes perſuadendi artes quibus in judiciis triumpharet mutuatus eſt. Hanc igitur à Stagyrite petitam partitionibus ſuis oratoriis inſeruit. Inde Romanarum legum compilatores idololatræ, ſervili ingenio viri, ſervientium ſæculorum abuſus & vitia pro legibus nobis obtruderunt. Ex illis Florentinus Accurſius mediocris litteraturæ vir, commentariis ſuis marginalibus verbum illud *efficaciſſimas* ad Ciceronis effatum retulit, atque inde, ut à ſacro Codice, Romani juris interpretes humanæ fidei dogma ſibi nobiſque concinnarunt. Pergamus igitur vanitatem tanti erroris convincere ab ipſo fonte repetitam.

Quæſtiones (inquit Ariſtoteles) *teſtimonia quædam ſunt, quæ videntur ideò fidem facere, quod quædam neceſſitas eis ineſt.* En igitur neceſſitatem illam, cui ſecundùm Ariſtotelem ejuſque aſſeclas, veritatis præſumptio in quæſtionibus innititur; ſed pace utriuſque ſcriptoris dixerim, non aliàs graviùs allucinati ſunt Ariſtoteles, Tul- *Rethor. l. I. ad Alex.*

 lius

lius cæterique eorum sectatores, quàm quùm necessitatem veritatis exprimendæ tormentis tribuêre. Ipse Aristoteles, qui hoc solùm effutit, ut patronis captiosas argutiolas quibus ad omnimodam causæ injustæ victoriam grassentur suggerat, ab hac necessitate præstò recedit, dum subjicit immediatè; *quibus enim necessitas adhibetur, ij non minùs falsa quàm vera dicere solent; nam vel dolorem tolerantes, verum occultant, vel facile mentiuntur, ut citiùs à cruciatu liberentur.* Idem antea non semel à Cicerone retulimus, quoties absque argutiolis hominem loqui contigit. Ubi igitur illa veritatis exprimendæ necessitas, quam Princeps hujus hæresis Aristoteles torturæ tribuisse creditus est? quùm qui illam invexit Stagyrites, illam ipsemet specificâ retractatione immediatè revocet, & in ancipitem sensum reducat; Quùmque hujus erroris exscriptores & sectarii fœdè à semetipsis dissentiant, Æsopici Satyri similes, qui uno ore frigidum & calidum emittebat spiritum, ut ex eorum verbis apertè convicimus, quid superest nisi hanc hæresim penitus explodamus, quâ veritatem in mendacio compertissimo supponimus. Sanè

Arist. ibid.

Orat. pro L. Sylla, & in partit. Orat. & lib. 2. Rhethor. ad Herenniũ.

Sanè cùm Aristotele mihi convenit, immensos cruciatus, quales tortura ingerit, deficienti in tormentis reo loquendi necessitatem imprimere, quâ Quæsitoris truculentiam quomodolibet compescat, sibique solatium loquendo nanciscatur; sed palpabili rationis evidentia constanter assevero, necessitatem hanc, loquendi duntaxat, non item dicendæ veritatis ex comperto intelligi, & inviti quidem loquuntur, sed Quæsitoris propositi conscii, ad illius nutum confessionem in truculenti cruciatus solatium concinnant. Sed nec Aristoteles, nec Tullius, nec humana philosophia, quanta quanta est, nulli unquam cordato elicient hanc esse necessitatem fatendæ veritatis. Ipsemet Stagyrita non audet expressis & certis verbis hoc asserere, eodem enim vocabulo usus est quo excerptores hujus sophismatis Cicero, Augustus, Ulpianus & Accursius, alter ab altero per manus accepto postea usi sunt. *Videtur* (inquiunt omnes) quâ voce nihil concluditur, quùm perinde falsum sub veri specie adumbratum, ac verum & germanum designet. *Quæstiones* (inquit Aristoteles) *testimonia quadam*

dam sunt quæ VIDENTVR *ideò fidem facere, quòd quædam necessitas eis inest.* Tullius, qui hæc ab Aristotele iisdem terminis mutuatus est, iisdem prorsus terminis ad Trebatium loquutus est: *necessitas* (inquit) *fidem facere* VIDETVR; *nam & verberibus, tormentis, igne fatigati quæ dicunt, ea* VIDETVR *veritas ipsa dicere.* Sed auctores illi necessitatem hanc non definierunt; si enim definissent, ut superiùs demonstravimus, procul dubio declarassent, illam de necessitate loquendi, non item de veritate eloquendi debere intelligi; imò ex ipsorum dictis apertè liquet, hanc necessitatem, æquâ lance in mendacium & veritatem pendére, sed proniùs & sæpiùs in mendacium. Quin & ipse Philosophus hanc suppositam necessitatem quo sensu acceperit prorsus explicat, quum immediatè subjungit; aliquos dolorem tolerantes verum occultare. Torturæ igitur nequidem loquendi necessitas est, quùm non æquè in omnibus operetur, contrariaque aut producat aut producere desinat pro patientum temperaturâ habituque corporis.

In topic.

Totius operis corollarium.

Necessitatem igitur Aristotelis & Tullii à fundamentis eruimus, solamque

que mentiendi efficaciam innocentibus, intolerando cruciatu oppreſſis, ex illâ hæreſi impoſitam perſpicuè demonſtravimus. Ariſtoteles, Cicero, Auguſtus, Ulpianus, Romanæ leges, Divus Auguſtinus, ejus Scholiaſtes, quotquot inter homines ſolidâ ratione, rejectâ opinionum tyrannide ducuntur, in hoc conveniunt ut fateantur, nec qui torturæ cruciatus pati poſſint, nec qui pati nequeant veritatem fateri, alteros mortis & infamiæ metu, alteros doloris impatientiâ victos, quos jure merito morte ipſa acerbiores reputant. Delrius, Binsfeldius, Farinacius, Clarus, omnes rerum capitalium ſcriptores, omnes Canoniſtæ, omnes Theologi ſanioris doctrinæ fateri pro veritate compelluntur, innocentes ſæpiſſimè in hâc mendaci probandi ſpecie ſuccumbere, ſceleſtoſque, robuſtos & ſortilegos mille ſibi modis à tormentorum ſenſu aut coactione conſulere; quid ſupereſt, niſi fateri ingenuè, torturam, ſi Dei omnipotentiam pacto expreſſo non ſcrutetur, de tacito ſaltem aut implicito imputari poſſe, à tyrannis nempe idololatris & à Dæmone eorum auctore ſemel profecto; Deus enim procul

Aug. l. 19. de Civ. Ulpian. l. 1. §. quæſtioni. & §. ſi quis ultrò. ff. de quæſt.

cul dubio tentatur, quùm homo tormentis humanæ temperaturæ vires communes excedentibus exponitur, ut ſuâ innocentiâ ex Dei ſubvenientis miraculosâ virtute quod per ſe non poteſt conſequatur. Sed ſi Dei potentia temerariæ neceſſitati non exponitur, ſaltem ejus patientia ad tantam ulciſcendam crudelitatem exaſperatur; quid enim, ſpreto divinæ legis præſcripto, tyrannorum placitis inhærentes, compertum periculum tamdiu laceſſimus, atque invincibili pertinaciâ innocentum ſalutem manifeſtæ perniciei objicimus? Cur tamdiu legis antiquæ præcepta contemnimus, præſcriptamque à Deo cujuſque probandi flagitii methodum aſpernati, Paganorum inventa à ſæculi noſtri legibus Chriſtianaque pietate abhorrentia legi divinæ ac naturali æquitati præhabemus? Quid attinet omnia flagitia ſcrutari, omnemque flagitioſum ad mortem expetere, quùm quæ noſtram indaginem fugiunt, ex ſanctorum Patrum monitis Eccleſiæque diſciplinâ, hujus indagini judicioque relinquere præcipiamur, cui nihil ignotum nihil inultum relinquitur?

Eccleſiaſt. 3, 27.

Quin

Quin imò ex ipſo Delrio comperimus, Deum ſibi plurimos in noviſſimo judicio puniendos ſeponere, quorum flagitia hominibus nolit innoteſcere, nec incerto ac periculoſo examini ſubjici patiatur. Sed quod demùm Spineo, Sprangero, Delrio, Binſfeldio & Remigio pateat effugium, pertinaciter aſſerentibus, nullum inſontem torturæ cruciatibus ad falſam confeſſionem adactum, quùm præter innumera exempla quibus invincibilis eorum pertinacia in dies convincitur, ſanctum Romanæ Inquiſitionis officium expreſsè fateatur, *torturam fallax eſſe probandi remedium*, innumeraſque mulierculas innocentes Quæſitorum cavillis, proceſſuum exlegum abuſibus, tormentorumque dirâ crudelitate ad perniciem adactas. Poſtremò nihil evidentiùs torturam diabolicum eſſe inventum convincit, quàm tot à Deo vires ejus eludendi relicta ſuffugia, ſeu Dæmonum ſolertiâ, ſeu malorum hominum ſagacitate ex vi naturæ petitis ſubſidiis, quæ nec ab ipſis Quæſitoribus, nec à rerum capitalium trucioribus interpretibus refelli poſſint.

Lib. 4. ſect. 5. §. quantumvis.

His rationum momentis luce meridia-

Concluſio.

dianâ clarioribus, humani divinique juris auctoritate freti constanter asserimus, torturam speciem probationis esse erroris, mendacii, projectæque temeritatis convictissimam, à jure divino, cùm novo tum vetere exclusivè repudiatam, ex eaque quotidie mille prodire crudelitatis immania specimina, non Christiano nomini solùm, sed & humanitati ex diametro pugnantia, Vix illam absque certâ innocentum pernicie exerceri, nec ad quemvis usum reduci posse, quin Judicum inscitiæ, malignitati, intempestivo plerumque zelo ac pervicaciæ pronum sit in mille discrimina prolabi, à quibus aliter quàm abrogatâ erroris ac mendacii, injustitiæ iniquitatisque compertâ officinâ caveri nequeat.

Ad Lectores.

POst hoc opus absolutum incidimus in Diploma quoddam à sancto Romanæ Inquisitionis Concilio Provincialibus sortilegii Quæsitoribus directum, ex quo manifestè convincitur Binsfeldium, Delrium, Bodinum, Sprangerum, Spineum & Remigium inaniter & falsò asseruisse,

con-

confeſſionibus torturâ expreſſis, nec ſortilegorum ſagarumque indiciis ſpontaneis aut violentis, unquam innocentibus impoſitum, proceſſuſque ſortilegii adeò ab omni errore vacuos, ut nunquam aut rarò innocens vicem nocentis ſubeat. Hâc inſtructione clarè patebit quid vulgaris famæ indicio, moroſis capitalium cognitorum formulis, torturæque immani experimento his in judiciis tribuendum ſit.

Sumptum ex Diplomate ſeu programmate Romæ typis excuſo.

Inſtructio pro formandis proceſſibus in cauſis ſtrygum, ſortilegorum & maleficorum.

EXperientia rerum magiſtra apertè docet graviſſimos quotidie committi errores in formandis [a] proceſſibus contra ſtryges ſive Lamias & maleficas, in notabile præjudicium tam juſtitiæ, quàm hujuſmodi mulierum inquiſitarum, ita ut in ſanctæ Romanæ

[a] Expreſſè contra Barthol. Spineũ qui contendit irreprenſibiles proceſſus & Judices ſortilegij.

næ & universalis Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem generali Congregatione longo tempore observatum fuerit, vix unquam repertum fuisse aliquem processum similem rectè & juridicè [b] formatum; Imo plerumque necesse fuit quàmplures Judices reprehendere ob indebitas vexationes, inquisitiones, carcerationes, necnon diversos malos & impertinentes modos habitos in formandis processibus, reis interrogandis, excessivis torturis inferendis, ita ut quandoque contigerit injustas & iniquas proferri sententias etiam ultimi [c] supplicii, sive traditionis brachio sæculari & reipsa compertum est multos Judices ita faciles & proclives fuisse ob leve aut minimum indicium credere aliquam mulierem [d] esse strygem, & ideò nihil omninò prætermisere ut ab hujusmodi muliere, etiam modis illicitis talem confessionem extorquerent, quum tot tamen tantisque inverisimilitudinibus, varietatibus & contrarietatibus, ut super tali confessione nulla aut modica vis fieri posset. Quapropter, ut Judices de cætero magis cauti esse possint in conficiendis hujusmodi processibus, infra-

[b] *Item cõtra Martinum Delrium idem obstinatissimè asserentem*

[c] *Contra eund. Delrium circa excessus torturæ. Item cõntra Binsfeld. Remig. & Boguet. qui omnes ex Bart. Spineo hauserunt infallibilitatem hujusmodi processuum.*

[d] *Contra Delrium, Bodin. Boguet. & cæteros omnia famæ vulgari in hoc processu tribuentes.*

infra ſcripta diligenter & accuratè præ oculis habeant & conſiderent.

2. Error principalis & particularis omnium ferè Judicum in hac materia eſt devenire, nedum ad inquiſitionem & carcerationem, ſed ſæpe etiam ad torturam contra aliquam mulierem de maleficio imputatam, quamvis non conſtet de corpore delicti ſive maleficii; & tamen in jure indubitatum eſt ad tales actus minimè deveniri poſſe niſi priùs de hujuſmodi corpore conſtet; cum agatur de delicto cujus veſtigia remanent. Corpus autem delicti non dicitur probatum prout multi Judices videntur præſupponere, ex eo quod prætenſus maleficiatus ſit vel fuerit infirmus ſive deceſſerit; Clarum eſt enim quod infirmitas & mors regulariter ex maleficio non provenit. Ideo oportet exquiſitas diligentias judiciales adhibere, examinare medicos qui infirmos curarunt, illos diligenter interrogare de qualitate infirmitatis, & an exactè medicinæ dignoſcere poſſint infirmitatem eſſe vel eſſe poſſe naturalem, illos etiam interrogando circa totam ſeriem & accidentia ipſius infirmitatis, à principio omnia fuſiùs in pro-

 ceſſum

cessum redigere, ad hoc ut si forte aliquis Medicus per imperitiam, prout multoties evenit, nescivisset qualitatem morbi judicare, & propterea judicasset, non esse naturalem, sed ex maleficio provenire, alius Medicus magis peritus, habita notitia omnium accidentium ejusdem infirmitatis licet infirmum non viderit, possit dignoscere an talis infirmitas ex morbo naturali necne provenire potuerit; Et ulteriùs maximè congruum esset ad eundem effectum judicialiter examinare familiares infirmi pro habenda notitia principii infirmitatis & ejus progressus, ex hoc enim apparebit an conveniant depositiones Medicorum & familiarium circa accidentia infirmitatis, & sic poterit tutiùs fieri judicium à Judice an constet de corpore maleficii; quod si ex ejusmodi diligentiis apparebit infirmitatem esse vel esse posse naturalem, procul dubio procedere non debet contra accusatam de tali maleficio; si verò Medici periti clarè judicaverint esse vel esse posse probabiliter maleficium, tunc Judex securiùs cogitare poterit de inquisitione formanda contra accusatam.

3. In-

3. Insuper, antequam Judex perveniat ad incarcerationem prætensæ maleficæ, debet diligenter rimari cuncta indicia quæ sunt contra illam, neque ex sola denunciatione prætensi maleficiati & ejus attinentium esse facilis ad carcerationem, nisi simul allegetur aliqua probabilis caussa ob quam animus Judicis rationabiliter moveri possit ad credendum quod mulier accusata tale maleficium committere voluerit, & ejusdem caussæ aliquam probationem, vel saltem non leve indicium habeat, antequam ad carcerationem deveniat.

4. Advertat præcipuè Judex in ipso actu carcerationis diligentem facere perquisitionem in domo mulieris inquisitæ, & talem inquisitionem per seipsum aut Vicarium idoneum faciat, adhibito notario & testibus, nec hujusmodi perquisitioni interveniant personæ attinentes aut familiares prætensi maleficiati, ne contingat, prout aliquando suspicatum est, dolosè aliqua supponi maleficium denotantia, in grave præjudicium reæ inquisitæ; & in dicta perquisitione annotentur diligenter omnia reperta in domo & capsis; & non solùm quæ

possunt juvare ream inquisitam, prout imagines sanctorum, divina officia, coronæ, libri devotionis, schedulæ communionis, aquæ & palma benedicta & alia, sigillatim illa describendo in inventario perquisitionis conficiendo; nec sint faciles Judices ad firmiter credendum aliqua reperta, prout oleum in vasculis, pinguedinem, pulveres & similia esse aptata ad maleficium, sed faciant illa considerare à peritis ad effectum ut dignoscatur an deservire possint ad alium finem quàm maleficii.

5. Multoties evenit quod familiares prætensi maleficiati, credentes maleficium, perquirunt intus anaclinterium cervical & pulvillos lecti ipsius infirmi, & quum inveniant involucra quæ videntur ad maleficium aptata, illa deferunt ad Judicem, qui super hoc maximum facit fundamentum ad effectum probandi maleficium & in hoc multum debet esse vigilans & circumspectus Judex, facile enim evenire potest ut talia à familiaribus infirmi supposita fuerint ut faciliùs Judex inducatur ad credendum maleficium & ad procedendum contra aliquam personam.

6. Præ-

6. Præterea Judex benè advertere debet qualitatem repertorum in hujuſmodi lectis, quùm enim anaclinteria & alia præfata conficiantur ex pluma aut lana, & quotidie intermiſceantur & iuvolvantur dum lectus proſternitur, facile evenire poteſt ut ſpatio alicujus temporis fiant quædam involucra quæ videantur præ ſe ferre ſuſpicionem maleficii, & tamen naturaliter contingere poſſunt; ultra quod in actu hujuſmodi confectionis anaclinteriorum & aliorum prædictorum, ex incuria Magiſtri illa fabricantis aliqua] intermiſceri potuerunt ex quibus hujuſmodi involucra ex ſe confecta fuerunt.

7. Et ideo ſi perquirerentur ſingulorum lecti, præcipuè ex pluma confecti de facili in aliquibus ſimilia involucra reperirentur, nec etiam eſt mirum quod in hujuſmodi lectis quandoque reperiantur acus; nam ubi ſunt mulieres, acus ubique abundant, & facilè eſt quod per accidens, ſpatio alicujus temporis multæ acus in prædictis mobilibus introducantur.

8. Neque forſan abs re eſt conſiderare Dæmonem aliquando talia

ponere potuisse, absque participatione & assensu alicujus, ut inde credatur maleficium commissum, & sic aliqua persona indebitè damnum patiatur; quemadmodum videmus in actu exorcismi nonnullorum obsessorum, qui videntur evomere acus, clavos & diversa involucra, quæ tamen impossibile est obsessos in corpore habere, prout non habent, sed Dæmon in illo actu talia supponit in os obsessi, ut credatur forte obsessum esse maleficiatum, & aliquis inde molestetur, ex quibus patet quam circumspectus esse debeat Judex circa hujusmodi reperta, quùm de facili vel potuerint supponi, vel esse naturalia, vel factâ operâ Dæmonis sive alicujus ministerio.

9. Consueverunt, parùm quidem prudenter, multi exorcistæ, juxta non bonam, quoad hoc, theoricam flagelli Dæmonum, interrogare Dæmonem in exorcismis, quomodo ingressus fuerit corpus obsessi; an ex maleficio? & quis hujusmodi maleficium commiserit; unde Dæmon pater mendacii & inimicus quietis humanæ sæpe respondet se ingressum esse corpus obsessi ex maleficio facto à tali persona, in tali cibo, sive potu,

& ut

& ut Dæmon magis certum reddat exorciſmum & alios de hac re, ſupponit evomenda ab obſeſſo quædam ſimilia & rei in qua dixit maleficium factum fuiſſe, & alia pleraque, ut ſupra dictum eſt.

10. Hinc diverſis vicibus obſervatum fuit aliquos Judices formare proceſſus contra præfatos maleficos nominatos à Dæmone, ut ſupra, tanquam ſi ex dicto Dæmonis probentur præmiſſa; unde ſuper hujuſmodi proceſſus nulla vis facta fuit à ſacra congregatione; imò ſemper repræhenſi fuere Exorciſtæ Dæmonem ut ſupra interrogantes & Judices qui ſuper Dæmonis reſponſione proceſſum formarunt.

11. Aliqui Judices opinantur, & perperam quidem, quod eo ipſo quod aliquis reperitur obſeſſus, id ex maleficio provenerit, & ex hoc ſolo injuſtè formant proceſſus contra perſonas aliquo modo obſeſſis infenſas, vel aliunde indicatas. Hoc eſt maximè abſurdum; cui enim dubium eſt quod ſine maleficio ex permiſſione poteſt Dæmon vexare corpus alicujus? Caveant itaque omnino Judices ne ex ſola obſeſſione Dæmonis conficiant

processus super maleficio; imò etiam sint cauti ne decipiantur ab aliquibus qui in præmissis imposturam committunt, & diversimodè se obsessos esse simulant, sæpe etiam hujusmodi impostores reperiuntur.

12. Non sint faciles Judices ad faciendam magnam vim contra aliquem personam ut strygem & maleficam ex indicio famæ; quamvis enim alias famæ indicium sit magni momenti; attamen in ista materia ob odium commune quod habetur in stryges, contra quas omnes unanimiter clamant, facillime insurgit hujusmodi fama contra aliquam mulierem; præcipue quando est vetula & turpis formæ; unde vel modicum fundamentum super tali fama fiat, vel saltem diligens Judex interroget testes, à quanto tempore ortum habuerit & à quibus & à qua occasione? Hinc enim forsan sæpe ex processu apparebit famam esse indicium modici momenti.

13. Ulteriùs advertendum est, quemadmodum mulierum genus est maximè superstitiosum, & sortilegiis, præcipuè amatoriis deditum; non tamen sequi, quod si aliqua mulier

lier sortilegia & incantationes vel ad sananda maleficia, vel ad cogendam voluntatem hominum, vel ad alium quemcunque finem fecerit, ergo est stryx formalis; potest enim esse sortilegium sine apostasia formali ad Dæmonem, licet non careat suspicione apostasiæ vel levi vel vehementi, juxta qualitatem sortilegiorum annotatam in c. accusatus. §. sanè. de hæretic. in 6. & ideò bonus Judex, dum format processum contra aliquam mulierem confessam vel convictam de hujusmodi sortilegiis, non sit facilis ad concipiendum in animo suo, quod sit apostata formalis ad Dæmonem, licet hoc esse possit, sed quando deveniet ad torturam contra hanc mulierem, illam in genere interroget, an habuerit aliquod pactum cùm Dæmone, juxta ea quæ inferiùs dicentur circa modum torquendi; & ad hoc maximè advertere debent Judices, quia multi in hoc decipiuntur, falsò putantes quod hujusmodi sortilegia fieri non possint sine apostasia formali ad Dæmonem; & hinc oriuntur maxima præjudicia mulieribus inquisitis de hujusmodi sortilegiis; Judices enim minùs periti, vel alias nimis fa-

ciles, ob lecturam aliquorum librorum de ſortilegiis & ſtrygibus tractantium, falſo præſuppoſito decepti, nullam vim relinquunt etiam indebitam pro extorquenda confeſſione mulierum, quæ ſæpiſſimè, ob diverſos malos & illicitos modos habitos, tandem inducuntur ad fatendum ea quæ nunquam cogitarunt.

14. Ut autem hujuſmodi mali evitentur, ad infra ſcripta attendant diligenter juſti Judices.

15. In primis, quatenùs fieri poterit, non permittant mulierem carceratam ob maleficium aut ſortilegium, quempiam alloqui; & ſi plus repeꝛiantur mulieres carceratæ in materia præmiſſa, non permittant ſimul alloqui, ſed retineantur in carceribus ſeparatis, quia ſæpe multæ conſueverunt falſum fateri contra ſeipſas in materia apoſtaſiæ, putantes hac via citiûs à carceribus eximi.

16. Nullo modo curent neque permittant Judices, quòd cuſtos carceris aut quiſquis alius ille ſit, mulieribus ſic carceratis ſuadeat quid fateri debeant cùm examinatæ fuerint; multoties enim compertum eſt, quod mulieres hujuſmodi ſuaſoribus impulſæ,

pulsæ, aut etiam spe impunitatis promissæ, quæ tamen eis nunquam promitti debet, fassæ fuerint id quod nec etiam somniarunt.

17. Judices nunquam alloquantur hujusmodi mulieres carceratas circa merita causæ, nisi judicialiter eas examinando.

18. Nullas suggestiones in illis interrogandis omninò faciant; sed ab initio interrogentur, an sciant vel præsumant causam examinis seu carcerationis; deinde de inimicis & de causis inimicitiarum, postea possunt interrogari de cursu vitæ suæ, de frequentatione sacramentorum, quis fuerit earum Confessarius, & de aliis similibus, ex quibus detegi possit bona vel mala earum vita & conditio. Deinde in genere possunt interrogari an sciant aliquod sortilegium & ad quem effectum, & an unquam hujusmodi aut aliud sortilegium exequutioni demandaverint; & si negaverint, possunt fieri alia interrogatoria in genere, paulatim objiciendo quod deponitur in processu, eas scire vel commisisse tale & tale sortilegium; & tandem, si omnia negent, possunt eis in diversis interrogatoriis paulatim

tim objici quæ in processu contra illas habentur, circumscriptis tamen nominibus & cognominibus testium & circumstantiis ex quibus ad notitiam devenire possit qui sint testes; & tandem completo processu informativo, si adhuc persistant in negativa, erunt repetendi testes processus offensivi; quæ repetitio, ut validè & legaliter fiat, formandi priùs sunt articuli pro parte fisci super capitibus quæ pro fisco prætenduntur, & copia dictorum articulorum danda ipsis inquisitis, assignando eis Advocatum & Procuratorem idoneum, etiam ex officio, quatenus inquisitæ, vel ob paupertatem aut alia de causa illos non habeant, eisdemque tempus congruum detur ad dandum interrogatoria, quo elapso, fiat repetitio. Facta repetitione, detur eisdem terminus ad faciendas defensiones, deturque copia processus; & factis defensionibus seu lapso termino ad illas faciendas, Judices convocent Congregationem Consultorum peritorum, in qua per extensum processus legatur, suppressis nominibus & cognominibus testium, & circumstantiis; & si de modo expeditionis causæ non sint concordes,

cordes, aut causa sit gravis, vel ratione delicti, vel ratione personæ, non deveniatur ad torturam, nisi consulta sacra Congregatione, ad quam mitti debeat copia integri processus tam offensivi quàm defensivi; & quando videretur Judicibus, cum voto suæ Congregationis, sine difficultate ad torturam deveniri posse, quia indicia essent urgentia, advertatur ne in ipsa tortura interrogentur inquisitæ de delicto in specie quod prætenditur, sed tantum antequam deveniatur ad decretum torturæ, objiciantur eis iterum indicia quæ in processu habentur, & postea in actu torturæ, interrogentur tantùm ut dicant veritatem de iis super quibus fuerint interrogatæ, & si fateri cœperint, non suggeratur eis aliquid sed tantùm recipiantur & scribantur verba præcisa earum confessionis, interrogando postea in genere super ulteriori veritate.

19. Advertatur ne tortura detur cum squassis aut cum aliquo pondere sive baculo ad pedes, sed sit simplex tortura alterius generis tormentorum, quatenus tormento funis torqueri non possint.

20. Non sint faciles Judices ad repe-

repetitionem torturæ, nisi causa sit gravissima, quo casu, jam erit consulenda sacra Congregatio ut dictum est.

21. Nullo modo abradantur aliqui pili aut capilli ipsarum mulierum, nec vim faciant Judices contra inquisitas in quodam judicio ab aliquibus Doctoribus considerato, videlicet, quando fortasse hujusmodi mulieres, maximè in tortura, non emittunt lacrymas.

22. Tortura nunquam excedat tempus unius horæ, nec de facili per horam tortura inferatur, nisi stante gravitate causæ & urgentibus indiciis simul, & in fine examinis annotetur tempus quo in tormento manserant.

23. Maximè est advertendum, quod in eventum in quem hujusmodi mulieres apostatæ ad Dæmonem & accessum ad ludos diabolicos faterentur, quo casu corpus delicti aliunde probari non potest quàm per propriam confessionem, curandum est, sine nimia suggestione, ut hujusmodi mulieres totam seriem facti à semetipsis recenseant, & quomodo ab initio ad id inductæ fuerint, de tem-

tempore & aliis circumſtantiis; nam hoc modo videri poterit an confeſſio hujuſmodi apoſtaſiæ & acceſſus ad ludos veriſimilis ſit, necne; & caſu quo fateantur aliqua particularia ſive circumſtantias quæ ſint verificabilia, omnino Judices diligentias faciant pro iis verificandis, quia ſic magis veriſimiles reddentur confeſſiones circa Apoſtaſiam & acceſſus ad ludos; aliàs ſi tales circumſtantiæ adductæ falſæ comperirentur, dubitari poſſet de veritate hujuſmodi confeſſionis, forſan ſequutæ vel torturâ *quæ eſt remedium fallax*, vel ſuggeſtione alicujus, vel tædio carceris, vel quia ſic crederent facilius ipſis indulgendum eſſe, prout aliquando compertum eſt diverſis iſtis reſpectibus mulieres falsò faſſas eſſe apoſtaſiam & acceſſus ad ludos præfatos; & ut faciliùs Judices poſſint ſe abſtinere à quacumque ſuggeſtione, quando mulieres incipiunt fateri talem apoſtaſiam forſan melius eſſet ut tunc obliviſcerentur eorum quæ dicunt Doctores in iſta materia; quia ſæpe viſum eſt quod Judices in ordine ad ea quæ perlegerunt penes Doctores, multa præjudicia faciunt his mulieribus.

24. Et

24. Et quatenus tales mulieres faterentur apoſtaſiam & acceſſus ad ludos, & nominent complices in hujuſmodi ludis, *nullo modo procedatur contra hujuſmodi complices, quia cùm talis acceſſus plerumq; per illuſionem contingere poſſit, juſtitia non poſtulat, quod contra complices cognitas & viſas per illuſionem procedatur.*

25. Omnino Judices ſcribere faciant in proceſſu interrogatorio omnia per extenſum ab ipſis Judicibus facta, ut ex lectura proceſſus appareat qualia illa fuerint, & an adſint ſuggeſtiones; cum maximo enim abuſu & præjudicio conſueverunt aliqui Judices facere, ad opportunam interrogationem, reſpondit ſeu alias reſpondit.

26. Multi Judices deveniunt ad formandum proceſſum, nec colligitur ex proceſſu quale fuerit primum indicium & unde provenerit, ſed proceſſus ſic incipiunt. Cum ad aures pervenerit, ſeu alias præcedente fama publica &c. Caveant igitur Judices ab iſto errore, & ſemper examinent in principio proceſſus perſonam ſeu perſonas, quæ ad aures primò aliquid dixerunt, vel quomodo talis fama

ma

ma ad ejus notitiam pervenerit, & cuncta ſeriatim in proceſſum redigant; ita ut nihil omninò omittatur.

27. Plerumque contingere poteſt quod infantes decedant ex ſuffocatione in lectis pauperum matrum & nutricum, & ob id prohibetur matribus & nutricibus, ne in earum lectis, ſed in cunabulis ſeparatis infantes retineant. Ideo prudentes Judices benè advertant, quia ſequuta aliqua ſimili ſuffocatione, ne illa detegatur, matres ſive nutrices propalant infantes occiſos à ſtrygibus.

28. In hujuſmodi cauſis & proceſſibus formandis omnino ſerventur taxæ aliàs tranſmiſſæ, de mandato ſacræ congregationis, & quando mulieres ſunt pauperes caveant Judices ab earum bonorum expilatione.

Romæ ex Typographia Rever.
Cameræ Apoſtolicæ
Ann. MDCLVII.

Tranſumptum fideliter & ad verbum, ex Diplomate Romæ typis exarato & tranſmiſſo Veſontium ad R. P. Inquiſit. Biſantinum, quarta Septembris 1660.

FINIS.

PARADOXON
DE
TORTVRA IN CHRISTIANA REPVBLICA NON EXERCENDA,

exercitii Academici gratia,
antehac propositum
à

JACOBO SCHALLERO,
SS. Th. D. & Phil. Pract. Prof. P.
Argent.

PARADOXON DE QVAESTIONE PER TORMENTA IN CHRISTIANA REPVBLICA NON EXERCENDA.

ALiter *JCti jus tractant, aliter Philosophi*, inquit Cicero 3. Offic. *illi, quatenus tenere manu res possunt: Philosophi, quatenus ratione & intelligentiâ.* Philoſophus ergo, ubi rationes non invenit, ſuſpendit judicium, aut diſputando in utramque partem veritatem, quæ omnium diſputationum finis eſſe debet, inveſtigat. Occurrunt autem NEGATIVAM in partem rationes non contemnendæ.

§. 1.

A SILENTIO SS. LITERARVM. Reſpublica Hebræorum ſatis feliciter adminiſtrata fuit à Moſe, Joſua, Samuële aliiſque piis judicibus: ſic & à Davide, Salomone, Joſaphato, Hiskia, &c. & tamen ne veſtigium quidem invenimus, ſontes per Torturam quæſitos. Fuerat quoque *Popu-*

lus dura cervicis. Deut.31,27. & vix hodie tanta perpetrantur ſcelera, quanta apud Prophetas leguntur. Ad iſta tamen eruenda nulla fuit adhibita tortura: neque ullum deliquium paſſa eſt juſtitia. Deus ipſe, à quo omne judicium & juſtitia in terris, Politiam Judaicam propria ſapientia conſtituit, fuit Legiſlator, ſcelerum vindex acerrimus & indagator prudentiſſimus, nihil de tortura ſancivit. Niſi ergò craſſæ alicujus ignorantiæ aut oblivionis Deum inſimulare velimus, ad minimum ſtatuemus, torturam non eſſe neceſſariam. In N.T. & primitivâ Eccleſiâ itidem altum ſilentium. Imò Scriptura videtur improbare *Joh.*19,4. Pilatus Chriſtum flagellandum curavit; deinde foras adducens dicit; *Vide, adduco eum vobis foras, quod nullam in eo cauſam invenio.* Quæ verba non incommodè ſic intelligi poſſunt. Adduco eum foras, & ne quidem per flagellationem, acre illud per torturam (ſpecies enim fuit Veteribus, ut mox patebit ex Act.22,24.) examen ullius criminis capitalis confeſſionem ab eo extorquere potui. At quis Chriſtianus Pilati proceſſum libenter imitaretur? Peccavit Pilatus extra contro-
ver-

versiam Christum flagellando; vix autem peccasset, si quæstio per tormenta licita fuisset. Dices: Non debuisset ad torturam procedere Pilatus. Resp. At totius populi vox & fama communis est secundum quosdam sufficiens indicium ad torturam: *est testimonium* apud Cic. Topp. cap. 5. Clarius exemplum occurrit in Paulo. Act. 22, 24. *Jussit Tribunus Paulum duci in castra, edicto, ut in eum flagris inquireretur*: ἵνα ἐπιγνῷ, δι' ἣν αἰτίαν οὕτως ἐπεφώνουν αὐτῷ, *ut resciret, propter quod crimen sic clamarent adversus eum.* At Paulus ℣. 25. protestatur, partim quod *sit Romanus*, partim quod non liceat μαστίζειν ἀκατάκριτον, *indemnatum flagellare.* Frustra autem protestaretur, si jure licuisset ante dictam sententiam suspectos per torturam quærere. patet quoque fuisse quidem apud Gentiles Romanos torquendi consuetudinem; sed hanc, ut juri meliori obviantem, ab Apostolo Paulo correctam & si ante sententiam exerceatur, repudiatam. Quid, quod & alterum, se scil. civem Romanum esse, nobis præbeat argumentum. Si enim Respub. Romana stare potuit, & supplicium capitis sumere de civibus suis, torturâ

non adhibitâ; cur non & in aliis casibus? Zepperus de LL. Mosaicis. l. 5. c. 10. in hæc verba erumpit. *Omnes in Imperio Romano Germanico Cives nunc Romani sumus; adeóque eodem adhuc gaudent privilegio & jure incarcerati, & de crimine aliquo suspecti redditi.* Frustra autem hæc intelliges sine profanarum literarum adjumentis. Livius l. 10. meminit legis Porciæ: *Porcia Lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi pœna, si quis verberasset necassétve civem Romanum, sanxit. Valeria Lex, cum eum, qui provocasset, virgis cædi securique necari vetuisset.* Cæsar in Consultatione de Conjuratis apud Salust. Catilin. *Quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An quia Lex Porcia vetat?* Ipse Salust. Orat. in Ciceronem Ciceroni graviter objicit, quod cives Romanos Catilinæ socios indicta causa contra legem Porciam necasset. *Cum omnia judicia,* inquit, *omnes Leges in tua libidine erant: cum tu sublata lege Porcia, erepta libertate omnium nostrum, vitæ necisque potestatem ad te unum revocaveras.* Ipse Cicero pro Rabirio perduellionis reo, *Porcia Lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit.* Plinius l. 7. c. 43. de L.
Corn.

Corn. Balbo accusato refert, quod falsò civitatem Romanam usurparet, cum peregrinus esset: ideóque *de jure virgarum*, quod in peregrinum, non civem erat, *in consilium missum*. Festus refert, illam legem Catonem *pro scapulis appellasse. Pro scapulis*, inquit, *cum dicit Cato, significat pro injuria verberum. Nam complures leges erant in Cives rogatæ, quibus sanciebatur pœna verberum.* Quæ ineptissimus in his literis Paulus Diaconus addit, non est, quod attendamus. Cicero Orat. IV. Catilinaria, etiam *Legis Semproniæ* mentionem facit de *Civibus Romanis* constitutæ, scil. ne quis Civis Romanus, injussu Populi, multaretur. Optimè tamen & clarissimè illa intelligi possunt ex Ciceronis Accusat. V. in Verrem. Inter alia capita accusationis erat, quod multos Cives Romanos virgis cæciderit, in eósque talia supplicia expromserit, quæ in convictos maleficii servos constituta sunt. *Non potes hoc negare*, inquit, *in foro Lilybæi, maximo conventu, C. Servilium Civem Romanum &c. ante tribunal, ante pedes tuos ad terram virgis & verberibus abjectum.* Retinenda enim putarunt Romani jura libertatis, non tantùm Romæ, ubi Tribuni plebis, ubi cæteri Magistratus, ubi forum

plenum judiciorum, ubi Senatus Autoritas, ubi existimatio Populi Romani: sed &, ubicunque terrarum & gentium violatum jus Civium Romanorum, statuerunt, id pertinere ad communem causam libertatis & dignitatis. In seqq. refert Gavii supplicium. *Repente Verres Gavium*, inquit, *proripi, atq; in foro medio nudari, ac deligari & virgas expediri jubet. Clamabat ille miser, se Civem esse Romanum, &c. deinde jubet undiq; hominem proripi, vehementissimeq; verberari. Cædebatur virgis in medio foro Messanæ Civis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem crepitumq; plagarum audiebatur, nisi hæc: CIVIS ROMANUS SUM &c. O nomen dulce libertatis! O jus eximium nostræ civitatis! O Lex Porcia, legesque Semproniæ &c.* apud Ciceron. l. 10. Ep. 32. Asinius Pollio describit Fadii supplicium, qui frustra clamabat: CIVIS ROMANUS SUM. Atque hoc civibus Romanis datum erat privilegium; qui cives non erant, immunes non erant. Sicuti *Marcellus Consul colonis, quos Cæsar Novum Comum in Galliam deduxerat, civitatem ademit, & unum illius Coloniæ Decurionem, qui Romam venerat, virgis cecidit: addens, hanc se ei inurere notam, quod Civis Romanus non*

non esset. Plutarch. in Cæsar. Interim tamen, si capitaliter à Populo, Senatu aut Principe damnati erant, virgis antè cædebantur, vel flagellationem subibant, tanquam civitatem hoc modo amittentes, qui illam habebant, & ingenuitatem ac libertatem. Ita Nero cum hostis à Senatu judicatus erat, & ut puniatur more majorum, interrogavit, quale id genus esset pœnæ, responsum est: *nudi hominis cervicem furcæ inseri, corpus virgis ad necem cædi.* Sueton. in Neron. c. 49. Galba quoque Tutorem, quod pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit: *implorantiq; leges & Civem Romanum testificanti, &c.* multò præter cæteras altiorem statui crucem jussit. Id. in Galba. c. 9. Extra hunc casum, Civis Romanus *verberibus cædi vel strangulari non poterat; neq; fas erat in eum animadverti, injussu Populi,* ut pluribus probat Brisson. l. 1. select. ex jure Civil. antiq. c. 13. Atque hoc est, quod Paulus dicit, se civem Romanum & indemnatum flagellari.

Dices: Indemnatus ideò tantùm dicitur, non quod torturæ non sint licitæ; sed tantùm, quia Tribunus egit contra jus commune & ordinem judicio-

ciorum. *Judicia enim criminalia non debent incipere à quæstionibus & Tormentis, ut docent JCti, ſed tum demum, ſi de facto conſtet & maleficium ſit certum.* Tribunus autem propter inconditum clamorem & tumultum factum nondum cognovit. Reſp. 1. At dantur caſus, ubi ad torturam procedunt, licet de facto certò non conſtet. E.g. in Latronibus, ſi cadavera peremtorum abſcondunt aut in flumen projiciunt. ſic crimen furti, crimen adulterii eſt aliquando difficillimæ probationis, ideoque ſæpè, ſi de facto conſtet ſaltem per conjecturas & præſumtiones, puta per famam, ad torturam procedit judex. Idque etiam cautum videtur in ordinatione Criminali Caroli V. Imp. art. 6. Erat autem h.l. fama & vox publica cum tumultu; ubi non videtur hic Tribunus planè contra ordinem juris egiſſe. 2. Vox ἀκατάκριτυ non tantùm ſignificat nullam facti certitudinem, ſed plus, & præſupponit, judicialem ſententiam nullam præceſſiſſe. Ut enim vox κατακρίνω, *condemno*, præcipuè in negocio forenſi, ut h.l. includit aliquam per ſententiam condemnationem: ita & ἀκατάκριτος eſt, in quem nulla lata eſt ſententia.

Mu-

Mulier Joh. 8, 11. in adulterio deprehensa factum negare non poterat, neque tamen condemnatur à Christo. Christus noluit sententiam mortis in illam pronunciare, ut lapidaretur. Paulus ergò ἀκατάκριτος iniquum judicavit virgis cædi & torqueri ante sententiam.

Objiciunt quidam *Num.* 5, 13. *de potione amara exploratoria adulterij.* Resp. Forsitan sibi imaginantur, *achæmenidem aliquam radicem, quæ in vino pota, per cruciatus noxiis confessionem expressit*, ap. Plin. lib. 24. c. 17. 58. *noctu per varias Numinum imaginationes.* Ista potio nullam habebat convenientiam cum tortura civili. Nam 1. fœmina suspecta non ducebatur ad judicem secularem vel ad forum civile, sed in templum ad forum Ecclesiasticum & ad Sacerdotem. 2. nec *modus* probationis erat *civilis*. Aqua enim physica sua virtute uterum non scindebat. sed *miraculosus*, quem hodie imitari sine tentatione Dei non possemus. sicuti etiam ista *probatio castitatis per ferrum candens* aut *duellum* rectè ab Ecclesiâ sublata est. 3. Erat tantùm in uno genere delicti sc. adulterii non in omnibus. 4. Nec erat per modum quæstionis, sed pœ-

næ,

næ, qua ſtatim ejuſmodi mulier moriebatur. Sicut ergo Deus propter σκληροκαρδίαν Judæis conceſſit libellum repudii: ita & Zelotypia laborantibus ſubvenire voluit, non ex tribunali, ſed miraculo extraordinario.

Ulterius objiciunt: Quamvis in V.T. non uſitatæ fuerint torturæ, alia tamen ferè conſimilia media uſurpabantur, & *ſortes* in dubiis & occultis maleficiis, quorum autores ignorabantur, adhiberi ſolitas ſcimus. *Joſuæ* 7,14. 1.*Samuel.*14,3. *Jonæ* 1,7. Reſp.1. Poſito, ſed non conceſſo; Interim illæ ſortes non tantos in ſe continebant cruciatus corporis, ipſa pœna graviores, i.e. certas pœnas pro incerto adhuc ſcelere. 2. Pertinent hæc ad ſortes *divinatorias*, quas in uſu fuiſſe non ſtatim ex h.l. probatur. Etiamſi quoque probaretur, licitas tamen fuiſſe, nuſpiam apparet, niſi acceſſerit *Dei ſpeciale mandatum* & certa ſic promiſſio, Deum ſortem directurum. Huc referimus 1. exemplum Achan Joſuæ 7,14. ubi Deus mandavit ſortem, & hoc ipſo promiſit, ſe ita directurum, ut in eum verè cadat, qui quæritur. Neque tamen Joſua ſorte iſta divinitus delinquentem monſtrante con-

ten-

tentus erat, ſed inſuper ℣.16. propriam à reo poſtulavit confeſſionem. 2. In Saulis facto circa eruendam transgreſſionem Jonathæ. 1. Sam. 14, 38. Chryſoſt. ſanè hom. 14. ad populum, putat, ſortes divinatorias illicitas fuiſſe, Dæmonemque inſtigaſſe Saulem, ut peccato peccatum adderet, ac juramentum malè conceptum pejus impleret parricidio Jonathæ. Neque multum ab hac ſententia recedunt Veteres Theologi. *Oſiander* in Paraph. *Joſuæ exemplum, qui ſorte peccatum Achan inquiſivit, imitatur externè, ſed non eadem pietate. Sunt enim hypocritæ ſanctorum hominum ſimiæ.* Non igitur vult hoc exemplum cum facto Joſuæ comparari. Ad preces ad Deum præmiſſas & eventum reſpondet *Brentius* hom. 47. p. 533. in h. l. *Oratio ſonus eſt ſine mente, & oris eſt locutio, non fidei precatio. Quid enim mirum, ſi hypocritæ in piorum ſchola diu verſatus, piorum etiam verba & orationes addiſcat. Sed inquis, ſi hæc oratio ſine fide eſt, qui fit, quod Dominus eam audiat? &c. Fecit Dominus, quod rectum erat, & effecit, ut Jonathas deprehenderetur, non quia Saul precatus eſt, ſed quia alioqui, etiamſi nemo precetur, judicium ſortis à Deo proficiſcitur, Id quod perſpicuè indi-*

cat

cat ſors illa à nautis apud Prophetam Jonam miſſa, illic enim clamant quidem nautæ, ſed ad Deos *ſuos factitios, & nemo inter eos erat, præter Jonam, qui verum* Deum *coleret, &c. nihilominus tamen ſors miſſa cecidit ſuper Jonam.* Nautarum ſors erat *divinatoria*, ſecundum plurimos Interpp.] illicita: quod ſi Saulis Sors cum hac conveniat, nihil impediet, quò minus hanc quoque divinatoriam & illicitam dicamus; non obſtante, quod Deus hanc quoque ſortem direxerit ad bonum. Nam & Nebucadnezaris Dæmoniacam ſortem *Ezech.* 21,21. direxit ita, ut Jeruſalem puniretur. Etiamſi quoque omnia concederentur, tamen nil facerent ad rem. 1. Quia iſtæ ſortes jactæ vel tractæ fuerunt peculiari vel mandato vel inſtinctu divino. At in Judiciis ordinariis Hebræorum tale mandatum non habuerunt, ut extraordinarias inquirendi vias tentarent. 2. Quia nullus erat reus etiam præſumtus; effectus offenſionis divinæ ſc. & ſilentii apparebat, delinquens planè ignorabatur, neque humana induſtria inveſtigari poterat: at in torquendo jam præſupponitur reus ad minimum. 3. Immediatè Deus offendeba-

debatur, non proximus. 4. In periculo bonum publicum concernente, non privatum unius vel alterius. 5. Extrajudicialiter in bello, non in ordinario fori processu. Nam humana & ordinaria Hebræorum judicia, uti non erant ordinata ad occulta judicanda, quæ Deus suo judicio reservavit; ita etiam non habebant vel mandatum tentandi miraculosas inquirendi vias, neque promissum alicujus miraculosæ manifestationis aut effectus. Hæc enim sortium communem rationem excedunt. Unde nullibi legimus, judicibus Hebræis sortes vel mandatas vel promissas, nisi fortè *divisorias*. 3. Nautarum sors apud Jonam c. 1, 7. erat *divinatoria*, superstitiosa, illicita. Deus tamen illam, licet malam, ita direxit, ut Jonas reus deprehenderetur, culpam agnosceret, & ad Deum rediret. Simili modo direxit omen superstitiosum Philistæorum 1. *Samuel.* 6, 9. *Si*, inquiunt, *vaccæ arcam Domini vehentes ascendunt contra Bethsames; Deus Hebræorum hanc morborum plagam nobis inflixit.* Hieron. in h.l. Jonæ. *Fugitivus sorte deprehenditur non viribus sortium, & maximè sortibus Ethnicorum, sed voluntate ejus, qui sortes regebat*

incertas. Non igitur credibile eſt, Judices Hebræos in ſuis judiciis ſortibus uſos ad ſcelera occulta eruenda. Quam ob cauſam etiam *ſortilegia* pro furtis inveniendis, in Jure Canonico ſeverè prohibentur, & clerico tranſgredienti pœnitentia imponitur. *c. in talibus. X. de Sortilegiis.* Ratio peti poſſet *ex c. ſontes. 7. cauſ. 26. q. 5. Sortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis judiciis (quod Patres damnaverunt) nihil aliud, quàm divinationes & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos ultra nolumus nominari, &, ne exerceantur, ſub anathematis interdicto prohibemus.* Deut. 18, 10. omnes hæ ariolandi & augurandi artes, in quibus etiam Sortilegia continentur, cum *res furto ablata vel ſimilia,* verba ſunt Oſiandri ſuper hunc locum, *indicantur,* prohibentur & omnibus interdicuntur. *Abominationes gentium* vocat Deus; apud quas ſc. legimus *Sortes Lycias, Delias, Præneſtinas, Antiatinas, &c.* Parùm etiam ab ejuſmodi differunt ſortibus, *ferrum candens* vel *aqua fervens,* quæ in judiciis abeſſe debere, eleganti ratione oſtendit Stephanus Papa 2. *quæſt. 4. c. conſuluiſti. 20.* in medio. *Ferri candentis vel aquæ ferven-*

tis

tis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones: & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum. Spontaneâ enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus norit corda filiorum hominum. Atque hæ rationes sine dubio etiam apud Hebræos validæ fuerunt: neque præsumendum, Judices ad occulta eruenda *sortibus* usos, quibus *temeritas & casus, non ratio aut consilium,* ut loquitur Cic. 2. de divinatione, *inest.*

Aliter excipit *Keckermannus, disp.* 32. *curs. Phil. q.* 4. In vetusta illa Judaica Repub. simplicitas & ingenuitas major erat, utpote in qua homines unius naturæ ac gentis, uniusque religionis conformiter vivebant, atque adeò in ea minor rerum confusio erat. Indeque instituta populi illius non adeò accommodata sunt ad Respubl. temporum horum, quibus & malitia & in omne scelus decuplo major libido, & ubi in una, non dico Regione, sed oppido, vico & pago cohabitant homines gentium diversissimarum, at-

que adeò etiam ingeniorum & morum: Ita ut omnino justitiæ administrandæ in tanta confusione longè difficilior ratio sit. Resp. 1. An major hodiè malitia sit, quàm Judæorum tempore, meritò dubitare possumus, si conciones & querelas Prophetarum expendamus. Sedebat Populus Judaicus inter varias gentes, habebat ex illis servos & ancillas, mercimonia cum illis exercebat; hinc factum, ut vitia omnium vicinarum gentium paulatim attraxerit. Quoties enim legitur ambulasse secundum *viam gentium*, juxta *abominationes gentium*. hinc *Sodomitis tolerabiliores* assignat *pœnas* Salvator *Matth.* 11, 24. *&* *Jerem.* 23, 14. omnes comparat *Sodomæ incolis*; imò peccata Judæorum *majora* dicit, *quàm Sodomorum* Thren. 4, 6. Clarissimus quoque locus extat *Ezech.* 16, 48. *seqq.* ubi Deus *Sodomæ & Samariæ* peccata *leviora* pronunciat, quàm Judæorum. 2. Judæi fuerunt unius naturæ & gentis homines vix aliter, quàm ut Tacitus Germanos, *in Germ. c.* 2. *n.* 1. credidit indigenas, minimæque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos. Ut autem diversæ in Regno sunt provinciæ genio distinctæ: ita apud

eos

eos erant Tribus, quæ dialecto, ut Ephraimitæ *Jud.* 12,6. differebant, ceu hodie ſuperioris & inferioris Germaniæ incolæ. quin etiam genio & naturâ, quantum ex benedictione Jacobi Gen. 49. aliiſque Populi Iſraëlitici deſcriptionibus colligere eſt. Religione quoque, poſt Salomonis tempora, diſcrepabant, & quamvis Hieroſolymæ externus cultus fuerit retentus: tamen populus ad Idololatriam pronus peculiaria ſibi faciebat ſacra. *ſecundum numerum civitatum Dij tui* &c. Jerem. 11, 13.

§. 2. AB EXEMPLIS ALIARVM RERVMP. In regno Arragoniæ torturam ignotam eſſe, Gomeſius teſtatur tom. 3. reſolut. c. 13. à princ. ut & in Regno Angliæ. Thom. Schmith. l. 2. de Rep. Angl. c. 27. *Equuleo aliquem torquendum ſubjicere, ut inter confeſſionem crimen elicias, præter morem gentis Anglicanæ eſt, & ſervile aliquid ſapit. Nam qua in re Reipub. unquam inſerviverit, qui membra ſic protenſa atq; ultra juſtam menſuræ longitudinem producta habuerit? nam ſi inſontem eſſe contingat, quæ par eſſe poteſt compenſatio, ut illi de injuria ſatisfiat? ſi mori oporteat, quod genus feritatis eſt, ipſum prius excar-*

nificare. Etenim expreſſa per tormenta confeſſio nihili æſtimatur. Cum autem Angli hi deſcendant à Germanis, veriſimile eſt, Torturam non per multa ſecula apud Germanos quoque eſſe in uſu. Lud. Vives comm. in l.19. Auguſtini de C.D. c.6. *Quomodo vivunt tam multæ gentes & quidem barbaræ, ut Græci Latiniq; putant, quæ ferum & immane arbitrantur, torqueri hominem, de cujus facinore dubitatur.*

§. 3. A PRIMA ORIGINE. Quæſtionem per tormenta plerumque Tyranni introduxerunt ad ſtabiliendam dominationem, & eruendos puniendoſque, quos ſuæ Tyrannidi imminere ſuſpicabantur. Polyd. Virg. *Nimrothum* primum inventorem facit l.2. de rer. invent. cap.3. Apud *Joſeph. de imperio rationis* Antiochus Epiphanes torturæ Judæos ſubjecit. In Romanam Civitatem ad Sextum Tarquinium Superbum, dignum ſcilicet Autorem, quem imitemur, reſpicere videtur Lud. Viv. in *Auguſt.* l.19. de C.D. c.6. & conſentit Gotfridus Viterbienſis Chron. part.10. *Iſte* ſc. Tarquinius *prius excogitavit carceres, & omnia genera tormentorum.* At in nece Tarquinii Priſci, ante Tarquinium Su-

Superbum Parricidas tormentis admotos, & insidiarum Autores prodere coactos fuisse, constat ex Dion. Halicarnass. l.3. in fine. Cicero in Partit. Orat. c. 16. *Atheniensium & Rhodiorum institutis accenset*, apud quos etiam liberi homines (id quod acerbissimum) civesque torquentur. At Atheniensium & Rhodiorum Respubl. erant imperfectissimæ, pluribusque vitiis laborabant.

§. 4. A PROPORTIONE QVÆSTIONIS ET POENÆ. Ipsa ratio dictitat, quæstionis dolorem non debere majorem esse, quàm dolorem pœnæ ordinariæ. At longè gravior est tormentorum dolor, quàm si quis supplicio afficiatur, quod plerumque citò perficitur & stuporem sensuum secum trahit. Cassiodor. l.3. Ep.46. *gratius est, spem citæ mortis expetere, quàm tormentorum crudelia sustinere: inter supremas enim anhelantis angustias, votum est potius perire, quàm vivere.* Ludov. Viv. in Augustini l. 19. de C. D. c.6. *No sic torquemus homines, ne insontes moriantur, ut magis eorum nos misereat, quam si morerentur: usque adeo graviora sunt sæpè tormenta, quàm mors.* Etiamsi quoque exantlatis constanter torturæ

doloribus innocentes deprehendantur, non poteſt illis æquivalens fieri retributio; quippe membra omnia, artus, muſculi, nervi luxati, fracti, ut per totam reliquam vitam miſerrimè vivant, ad omne genus vitæ & opificium inepti, & vita ipſa ipſis potius ſit ſupplicium, cum mors fuiſſet ſolatium. Syneſius ſanè Ep.58. *feliciores prædicat, qui mortui fuerunt, quàm qui tormentis malè fuerunt liberati.* Ut ergò rectè judex in ſuppliciis ſe non præcipitat, quia *pœna dilata exigi, exacta revocari non poteſt* Senec.2. de Ira c.23. Ita rectius tormenta intermittit, quia ſi quis innocens deprehenſus ſit, non patet ei ad pœnitentiam regreſſus. Addimus illud Quintiliani Declam. 18. *Unicum filium pater ignibus verberibuſque interrogas, rogo, quid facturus, ſi pernegaverit? Videlicet ut laudes, deinde dimittas, ut amplectaris peruſta vitalia, & laceri pectoris vulnera pietati rurſus admoveas. Solus ſupereſt pudor homini, qui torſit unicum, ut torquere debuerit. Faciat neceſſe eſt, res iſta te peſſimum Patrem, & oderis oportet filium*, CVI SATISFACERE NON POSSIS. Dicunt quidem Patroni torturæ, reos ita torquendos, *ut vel innocentiæ, vel ſupplicio ſalvi*

salvi sint: sed modi isti homines torquendi vix tale quid admittunt: præcipuè si tortura aliquoties repetatur. Claudimus hoc argumentum verbis Senecæ l. 2. de benef. c. 5. *acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam, & misericordiæ genus est, citò occidere*, quia tormentum ultimum finem sui secum trahit; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est. Immisericordiæ ergo genus est, minutis ictibus & longis torturæ cruciatibus homines dilacerare, sensum mortis præbere, non ipsam. Inter Caligulæ sævitiam refertur apud Suetonium, quod *non temerè in quenquam animadverti passus sit, nisi crebris & minutis ictibus, perpetuo notoque præcepto: Ita feri, ut sentiat se mori.* Hieronymus tom. 1. in vita Pauli Eremitæ ab init. *Hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Et ut ipse, quia ab eo* (Decio Imp.) *passus est, Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi.* Lucanus quoque in consuetudinem illam sævam invehitur:

moremque nefandæ
Dirum sævitiæ, pereuntis parcere morti.

Prudentius in Laurentio Martyre:

Perire raptim non dabo,
Vitam tenebo & differam,
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.

Illi apud Petronium. *Si quid tristius paras, celerius confice. neq; enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti perire.* Sensere, sc. hi, Cruciatus, quibus sontes exercentur, ipsa morte acerbiores esse, & speciem crudelitatis ostendere. Inter alia Crimina Verri objecta Cicero Verr. 5. & hoc habet, quod liciti fuerint Parentes cum lictore, *ut uno ictu securis afferret mortem filiis suis. Quid dabis,* inquit lictor, *ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur. Etiam ob hanc causam, pecunia lictori dabatur. O magnum & intolerandum dolorem! O gravem acerbamque fortunam! non vitam liberorum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur Parentes. Atq; ipsi etiam adolescentes cum Sestio de eadem plaga & de uno illo ictu loquebantur, idq; postremò Parentes suos liberi orabant, ut, levandi cruciatus sui gratiâ, lictori pecunia daretur.* Ex quibus ulte-

ulterius illud quoque deducimus, ſi ſpecies crudelitatis eſt, etiam meritos mortem, de quorum facinore jam conſtat, tam longis cruciatibus affligere; quid ſtatuendum de torturis, ubi delictum nondum confeſſatum, ſed per quæſtionem demum inquirendum eſt. Neque abnuunt *Baldus & Paris de Puteo* apud Weſenbecium l. c. n. 5. *quæſtionem corpus lacerare & ipſa ferè morte duriorem eſſe*, & poſt n. 12. circ. finem *torturam ſæpius repetitam non minorem pœnam eſſe re ipſa, quàm cujuſlibet pœna capitalis.* Si Tertullianum evolvamus ad Martyres, deprehendemus, Chriſtianos Martyres non tam mortem exhorruiſſe, quàm tormenta. Sed *mortis metus*, inquit, *non tantus eſt, quantus tormentorum.* Senſerunt ſcil. mortem tolerabiliorem eſſe ipſis tormentis, maluiſſéque mori, quàm torqueri. Idem Cyprian. aſſerit Ep. 53. ad Fortunatum de iis, qui per tormenta ſuperantur, ſc. *in prælio congreſſos & vulneratos, per imbecillitatem carnis, confeſſionis ſuæ coronam non potuiſſe perferre: maximè cum cupientibus mori non permitteretur occidi, ſed tamdiu feſſos tormenta laniarent, quamdiu non fidem, quæ invicta eſt, vincerent, ſed carnem, quæ infirma eſt, fatiga-*

tigarent. Simonides apud Ammian. Marcellin. l. 29. c. 9. *cum causam non ex veritate, sed quæsitoris nutu pensari sensisset, ultrò fassus est crimen, moriq; maluit, quàm torqueri*: ita & Maximus ibidem c. 10. rem audivisse & reticuisse confessus est, ideoque *capite truncatus, sensit docente periculo extremo, Quæsitoris iniquitatem omnibus esse criminibus graviorem.* Addamus Synesium Ep. 58. *Horrenda ad carnificinam instrumentorum genera, quorum qui experimentum ac spectaculum morte prævenerunt, quiq; ante bello sublati sunt, ab iis, qui male liberati fuerunt, felices sunt prædicati.*

§. 5. A DEFECTU LIBERTATIS. Veritas sive consideretur ut *Actus Justitiæ*, qualis illa, quæ judicialiter deponitur, sive ut *actus veracitatis* extrajudicialiter, debet profluere ex certa scientia & libera voluntate; aliàs actus virtutis non erit. At ejusmodi veritas, quam dolor tormentorum extorquet, neque ex judicio intellectus, utpote dolore turbato, neque ex voluntate libera proficiscitur. nisi forsan gratia Dei extraordinaria accedat: sicuti Augustinus l. 13. de C. D. c. 7. constantiam Martyrum *ad abundantiam gratiæ divinæ, ad opitulationem divinam,*

nam, non ad *vim* propriam refert. Ut ergo judex si non ex certa scientia juris, sed vel ex amore aut odio procedit, etiamsi justam pronunciet sententiam, non tamen justè facit: ita & Veritas non pro veritate censenda, quæ dolore elicitur. Philotas apud Curtium doloribus impar Craterum compellat: DiC, QVID ME VELIS DICERE. Ita torti tormentorum tandem finem petentes, dicunt, quæ Quæsitores dici volunt. Pertinet huc locus Ciceronis Orat. pro Sylla; *tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusq; tum animi, tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tantis rerum angustiis nihil Veritati loci relinquatur.* Rectè prudens Mimus ait: *Etiam innocentes cogit mentiri dolor.* Repugnat etiam principiis philosophicis in doctrina de actionibus ex metu, Philosophus 3. Eth. 1. actus ex metu mixtos facit, qui non ex toto sunt spontanei, multo minus liberi & electitii: sed ex parte inviti. Hinc & actus ejusmodi ex metu gesti pro nullis habendi & rescindendi sunt. Vix autem gravior est metus aut cruciatus, quàm qui per tormenta & quæstiones corpori infertur. Notabilis

tabilis locus est caus. 15. quæst. 6. c. 1. *Si quandoq; à Sacerdotibus & auctoribus Ecclesiæ quædam scripturæ quoquo modo per metum aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocunq; ab eis conscriptæ, aut roboratæ sint ingenio, ad nullum ejus præjudicium, aut nocumentum valere censemus: neq; ullam eos infamiam vel calumniam aut à suis sequestrationem bonis unquam, Deo Auctore, & sanctis Apostolis eorumq; successoribus. sustinere permittimus. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet. Omnis enim confeßio, quæ fit ex necessitate, fides non est: Confessio vero in talibus non extorqueri debet, sed potius sponte profiteri. Pessimum enim est, de suspicione aut extortâ confessione quenquam judicare, cum magis sit inspector cordis Dominus, quàm operis. Non potest autem humano condemnari examine, quem Dominus suo reservavit judicio, &c.*

Quamvis autem non omnis metus hic intelligatur, sed talis, qui cadit in constantem virum: tamen omnium Canonistarum consensu *metus mortis, & qui continet cruciatus corporis, sunt tales,* qui virum constantem de statu suo dimovere possunt. conf. *Gloss. ibid. Minutius Felix* circa finem, cum pueros & mu-

mulierculas Christianorum cum Mutio, Aquilio, Regulo comparasset, tandem ait, folio m. 26. *Nec intelligitis ô miseri! neminem esse, qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine* DEO *POSSIT sustinere.* Sensit tormenta ita esse comparata, ut constantiam humanam superent & non nisi divinitus inspirato robore sustineantur. Wesemb. c.l. n.11. est ab eo inchoandum, qui timidissimus. Hunc enim facilè Verum metu tormentorum dicturum. At quid si dicerem, timidissimum facilè falsum metu tormentorum dicturum? Ad minimum hanc veritatem non esse actum justitiæ.

Quis enim non moveretur ad atrocem istam tragœdiam, *cum intenduntur eculei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus, resultant omnia truculenta vocis horroribus, inter catenarum sonitus, tene, claude, comprime, abde, ministris officiorum tristium clamantibus*, ut cum Ammian. Marcellin. l.29. c.6. loquar. Hæc tanta sunt, ut vel sola cogitatione animo repræsentata hominem interficere possent, ut Saliam ibid. qui *cum de vinculis educitur audiendus, & calceo inserit pedem, quasi ruina incedentis immensi terroris repente perculsus animam, inter*

inter retinentium manus, efflavit. Rectè itaque Seneca. Ep. 14. *Plus agit tortor, quo plura instrumenta doloris exposuit. SPECIE enim vincuntur, qui patientia restitissent.* Nec minus Quintilian. declam. 18. *Omnium incertorum suspiciones pessimè semper à corporibus incipiunt, nec benè de cujusquam moribus illam partem hominis interroges, quæ non animo sed dolore respondet,* & declam. 272. *ubi tantum robur animi, ubi tam firmam solidamq; mentem, quæ non dolore vincatur, non ignibus cedat, non verberibus ingemiscat.*

§. 6. A DEFECTV CERTITVDINIS. Per ejusmodi tormenta tam verum, quàm falsum elici potest. Accidit enim ut quis victus doloribus crimen fateatur, quod non commisit. Hieronym. tom. 1. Ep. ad Innocent. memorat de muliere adulterii accusata cum juvene commissi à Marito. Juvenis tormentorum impatiens crimen, quod non patrarat, fassus est, ideoque occisus: mulier miraculo servata. Valerius Max. l. 8. c. 4. simile exemplum narrat de M. Agrii servo. Huc referimus Philotam apud Curtium VI. 21. de quo dubitatum, *verone an mendacio liberare se à cruciatu voluerit, quoniam & vera professis & falsa dicen-*

dicentibus idem doloris finis ostenditur. & lib. 7. 2. 34. *Philotas ultimis cruciatibus victus, verane dixerit, quæ facta probari non poterant, an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cum magis possit liquere, dubitatum est.* Rectè Autor 2. ad Herenn. c. 1. putat, *dolori credi non debere, quod alius alio reticentior sit in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum; Quod denique sæpè scire aut suspicari possit, quid quæsitor velit audire: quod cum dixerit, intelligit sibi finem futurum doloris.* Econtra evenit, ut quis crimen, de quo quærebatur, non fateatur, ut apud eundem Val. Max. c. *Fannii servus sexies tortus pernegavit.* Ita Fulvii Flacci servus *octies tortus nullum omnino verbum, quo Dominus perstringeretur, emisit.* Est sc. hoc, quod & Tacitus habet. H. l. 3. 2. *contumax etiam adversus tormenta servorum fides.* ap. Ammian. Marcell. l. 29. c. 9. Pasiphilus *crudeliter tortus de statu robustæ mentis non potuit deturbari, ut Eutropium Asiæ Proconsularem injusto mendacio perverteret.* Clarissimus pro utraque parte extat locus apud Tacit. A. XIV. 60. 3. *Actæ de ancillis,* sc. Octaviæ, *quæstiones, & vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem*

Dominæ tueri. En quædam ad placitum locutæ vi tormentorũ, ſed mentitæ ſunt: à reliquis nullis tormentis extorquere potuit, quod volebat judex. Rectè iterum Cicero in Partition. c. 9. quæſtiones removet, quod & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpè ſunt, morique maluerunt falſum fatendo, quàm verè inficiando dolere: multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his chariores, quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicii, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt. Alii ementiti ſunt in eos, quos oderant. Huc trahi poteſt quæſtio, quæ de conjuratione in caput Hieronymi Syracuſanorum Principis habita eſt. Theodorus comprehenſus, quamvis de ſe haud cunctanter omnia faſſus, ad indicandos conſilii ſocios Andronodoro datur torquendus: tandem omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceratur: victum malis ſe ſimulans, avertit à conſciis in inſontes indicium: Thraſonem eſſe autorem conſilii, mentitur. Liv. l. 24. Valerius Max. l. 3. cap. 3. explicat.

Quin

Quin etiam ſatellitem, in quo totius dominationis ſumma, quaſi quodam cardine verſabatur, falſa criminatione inquinando, fidum lateri ejus cuſtodem eripuit: beneficioque patientiæ, non ſolùm, quæ occulta fuerunt texit, ſed etiam tormenta ſua ultus eſt. Quibus Hieronymus, dum inimicum cupidè lacerat, amicum temerè perdidit. Eodem modo Zeno Eleates à Phalari tortus, ut conſilii participes ederet, nec nominavit quempiam, ſed proximum quempiam ac fidiſſimum tyranno ſuſpectum reddidit. ibid. conf. & Suidam, Laërt. Ciceronem 2. Tuſc.

Nec tantùm innocentium hæc laus, ſed & conſcii ſceleris & ſontes adverſus tormenta contumaces ſunt. Confer. in Tac. A. XV. 57. 2. exemplum Epicharis, *quem non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne à fœmina ſpernerentur, pervicere, quin objecta denegaret; torqueri & mori maluit, quàm Quæſitori conſcios prodere.* Jungere huic Græcum poſſemus *Sambicum*, qui annum perpetuum exquiſitis cruciatibus eſt dilaceratus, inter quos & animam efflavit; nec tamen conſcios judici nominavit. Vid. Eraſmi Adag.

Graviora Sambico. Applicemus huc, quibus fœminam illam tortam Seneca depingit. l. 2. controv. V. ut mariti ſecreta proderet. *Explicantur tyrannicæ crudelitatis adverſus infelicem fœminam apparatus, & alia inſtrumenta, virorum quoque animos ipſos viſu frangentia, ad excutiendam muliebri pectori conſtantiam proponuntur: inſtat tam denunciationibus, quàm tormentis tyrannus & minando torquet. Tacet. Videt intentum Tyranni vultum, videt oculos minaces, & tacet, &c. Cæduntur flagellis artus, verberibus corpus abrumpitur. Tacet &c. Vicerat ſævitiam patientia, deerat jam ſanguis, ſuperabat fides.* Illuſtratur quoque exemplo Cappadocum, qui à pueris ſe mutuo torquere equuleo ſolent, ut ad falſa ſe teſtimonia venundare poſſint: quemadmodum ſcribit vetus Perſii Interpres in Sat. VI. item Zenonis Eleatæ, qui nullis potuit tormentis adigi, ut conſcios delendæ tyrannidis indicaret ap. Laërtium in vit. Seneca Epiſt. 78. cum multa contra dolorem diſſeruiſſet, tandem hoc quoque argumentum profert. Plus eſt *flamma ſc. quàm dolor, & equuleus, & lamina, & vulneribus ipſis intumeſcentibus, quod ille renovaret & altius urgeret impreſ-*

pressum. Inter hæc tamen alius non gemuit: parum est, non rogavit: parum est, non respondit: parum est, risit, & quidem ex animo. Cum Sylvanus Majestatis in Constantium Cæsarem commissæ accusaretur, Proculus inter ipsius familiares homo gracilis & morbosus, eculeo cum admoveretur: metuentibus cunctis, ne vi magna tormentorum, levi corpore fatigato, reos criminum promiscuè citari faceret multos: contra quam speratum est contigit. Is enim, inquit Ammian. Marcell. l. 15. c. 16. *quamvis ad confinia ipsa mortis vexatus, nec nominavit, nec prodidit aliquem.* Tertull. ad Martyr. cap. 4. & Apolog. circa finem meminit *meretricis Atheniensis, quæ conscia conjurationis, cum propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit conjuratos, & novissime linguam suam comestam in faciem tyranni expuit, ut nihil agere se scirent, tormenta etsi ultra perseverarent.* Nomen meretrici fuit Leæna de qua Plin. l. 7. cap. 23. Pausanias in Atticis. Plura exempla vide apud *Valer. Max. l. 3. c. 3.* de servo barbaro, qui Asdrubalem interemit; de Anaxarcho, ut & de homine agresti, qui L. Pisonem adortus est. ap. Tacit. IV. A. c. 45.

Atque ex hoc fundamento respondemus instantiæ Michaëlis Montani l. 2. des Essais c. 5. qui putat conscientiam scelere gravatam vix parem esse doloribus ferendis, innocentiam contra ultrò deposcere tormenta. *ie pense*, ait, *que le fondement de ceste invention vient de la consideration de l' effort de la conscience.* &c. Resp. non negamus magnam vim inesse conscientiæ: at præsentior est metus mortis, si fateatur. Externa enim quæ sensibus viciniora sunt, fortius animum percellunt quam quæ in mente hærent, Est autem *mors terribilium terribilissimum* 3. Eth. c. 6. & sæpius conscientiam superat, ut homines id agant, quæ contra conscientiam sunt. Ratiocinatur enim cum isto nebulone, cujus mentionem facit Marsil. c. 1. repetit. 25. *melius esse millies torqueri, quàm semel gulam frangi, illud damnum per Chirurgum curari posse, hoc nunquam.* πάντων τῶν δεινῶν ὁ φόβος μάλιστα καταπλήττει τὰς ψυχάς. *Metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit.* Xenoph. l. 3. Cyropæd. p. 67. Accedit dolor qui non in animo, ut conscientia, sentitur, sed corpore. *Anglis*, inquit Schmith, de Rep. Angl. l. 2. c. 27. in-

innatum est, ut mortem ſpernant, cruciatum non ferant, idcirco potius quidvis à ſe geſtum profitebuntur, etiam Patris ſui internecionem, quàm ut cruciatui huic obnoxii amplius eſſe velint. Referre huc poſſemus *Epiſtolam Hieronymi tom. 1. ad Innocentium de muliere ſepties icta.* Accuſata mulier à Marito adulterii cum juvene. Hic volens compendio mortis longos cruciatus vitare in ſemetipſum mentitus eſt. Mulier perſtitit negare. Utra pars bonam habebat conſcientiam, ſed altera impar doloribus, altera par fuit. Epiſtola prolixior eſt, quàm ut deſcribenda ſit. Huc poſſemus adferre lapſos in primitiva Eccleſia, quibus ne optima conſcientia conſtantiam inſpirare potuit.

Ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſi nos conferre vellemus, plurima ex Euſebio aliiſque adduceremus exempla SS. Martyrum, qui nullis tormentis, quamvis crudeliſſimè lacerati, compelli potuerunt ad id quod judices deſiderabant. Ipſe Plinius ethnicus Epiſt. 97. teſtatur, *nihil cogi poſſe, qui ſunt revera Chriſtiani.* Cyprianus Sermon. 5. de lapſis. Non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta,

non rei familiaris damna & corporis ſupplicia terruere. Id. Ep.ad Martyres. *Toleraſtis uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam Quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perſeveravit non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Dominum vel ocius mitteret, &c. Vidit admirans præſentium multitudo cœleſte certamen Dei, ſpirituale certamen, prœlium Chriſti; ſtetiſſe ſervos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divinâ, telis quidem ſecularibus nudos, ſed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes & laniantes ungulas, pulſata & laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis ruptâ compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei non jam membra, ſed vulnera.* Id. de laude Martyrii. *Quantæ ſit gloriæ ponderate, hujus vitæ cupiditatibus, atque ab omni animum natura mundique commercio ſegregatum, contra adverſantis diſcrimen opponere, nec ſævitiam torquentis horrere: animari hominem dolore, quo credatur extingui, & id ſibi in augmentum virtutis aſſumere, quod cruciatui putat prodeſſe, qui punit. Nam præ-*

du-

durantibus licet costis resultans ungula recurrat in vulnus & euntibus flagris cum avulsa corporis parte rediens habena ducatur; stat immobilis tamen pœnis suis fortior. Similia habet Theodoretus θεραπευτ. l. 8. de Martyribus. Nazianzenus Orat. in Julian. cum Marci *Arethusii* Martyrium describit. maximè Eusebius in Histor. Eccles. passim. Taceo jam Martyres audaculos: Circumcelliones profero, qui se temerè & spontè ad Martyria & tormenta offerebant, & spernendo tormentorum dolores, docebant tormenta non esse idoneum veritatis inquirendæ medium. Montanistæ, apud Eusebium. l.5. H. E. c.15. jactitabant, *se non paucos habere martyres, &c. sic & aliarum hæresium propugnatores per multos venditant se habere martyres*: non tamen veritatem *penes se tenere fatebimur, primi ex Marcionis hæresi Marcionistæ vocati sunt, permultis se Christi martyribus abundare prædicant, &c.* Alii contra victi tormentis ore negarunt non animo, Tertull. Apolog. Edit. Rhenan. p.808. *Unde ista perversitas? ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, quam per vim neganti, vel ne compulsus negare, non ex fide negaverit, & absolutus*

ibidem post Tribunal de vestra rideat æmulatione iterum Christianus. Non sane putavit tormenta viam esse, qua judex possit ad veritatem & certitudinem penetrare. Pertinet huc Epistola Cypriani 53. ad *Fortunatum* & alios collegas, de iis qui per tormenta superantur. *Puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos constat stetisse in acie, nomen confessos esse: violentiam magistratuum & populi furentis incursum immobilis fidei obstinationem vicisse, passos esse carcerem, diu inter minas Proconsulis & fremitum populi circumstantis, tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciantibus repugnasse. &c.* in novissimo tamen infirmitate carnis subactos. Idem de Lapsis. *Lapsus potest rogare & dicere. Certare quidem fortiter volui, & sacramenti mei memor devotionis ac fidei arma suscepi: sed me in congressione pugnantem cruciamenta varia & supplicia longa vicerunt. Stetit mens stabilis & fides fortis, & cum torquentibus pœnis diu anima immmobilis luctata est: sed cum durissimi judicis recrudescente sævitia jam fatigatum, jam lassum corpus, nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret: Caro me in colluctatione*

ctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit. Quoties horum lapsorum recordor, incidit illud Apostoli. 1. Cor. 10. 13. *de tentatione non nisi humana.* Nondum initium sumserant illæ persecutiones Christianorum, nondum tortores experti erant, nondum μέχρις αἵματος Heb. 12. 4. *usque ad sanguinem* resistebant. At cum jam in Christianos expediebantur omnia tormentorum genera, cum *ad sanguinem usque* resistendum erat, illud erat οὐκ ἀνθρώπινον *non humanum vel supra hominem*, nec poterant humanis viribus ea sustinere Christiani, sed cogebantur ad nutum tortoris non veritatem quam tamen quærit tortor, dicere, sed mentiri. Qui tormenta superarunt, illis assignat Augustin. l. 13. de C. D. c. 7. non vim propriam, sed *opitulationem divinam.* & Cyprian. Ep. 9. ad Martyres, virtutem divinam, id est, gratiam extraordinariam. Extant quoque Petri Alexandrini Episcopi Canones ap. *Balsam. in Nom. in fin.* qui accuratè distinguunt inter lapsos post tormenta, & spontè ruentes. Illos sic describit. *Delati sunt, in custodiamque conjecti, tormenta non sufferenda & intolerabilia flagella,*

gella,

gella, & multas alias graves necessitates sustinuerunt: postea autem sunt à carnis imbecillitate proditi &c. multum decertarunt & diu restiterunt. &c. Illustrare hæc possemus exemplo Origenis, apud Eusebium l.6. c.2. & 3. cujus *animum tanta cupiditas occupavit Martyrii, ut propè se ultrò offerret periculis. &c. perfecisset etiam, nisi Mater omni ejus vestitu clam ablato, domi eum manere necessariò coëgisset.* At hic fervor postea deferbuit: sensit tormenta, non pertulit. Euseb. l.6. c.32. Qualia & quam acerba pro Christi verbo perpessus est vincula, quæ corporis tormenta, quæ supplicia, ex catena ferrea in interioris carceris recessu collo impacta, & quomodo permultis diebus pedes ad compedes ligneas intrusi, quatuor foraminum interstitiis interpositis, distractione distenti fuerint: quæ ignis & incendii minæ &c. At quid postea? Si vera sunt, quæ Epiphan. hær. 64. habet. non permanserunt illi, quæ ad præmium consequendum pertinent, in finem. &c. idolis tandem sacrificavit, & à confessoribus ac Martyribus re cognitâ rejectus est. Inde Alexandriæ non potens ferre exprobrantium sannas discessit & Palæ-

stinam

stinā inhabitare elegit. Quin adsit ipse Ulpianus qui 7. libros de torquendis Christianis non ad historiæ fidem sed ad suppliciorum acerbitatem scripsit, l. 1. §. quæstioni 23. ff. de quæstionibus. *Quæstio res est fragilis,* inquit, *& periculosa & quæ veritatem fallat. nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi illis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri quam pati tormenta velint.* Cur autem ad tam dirum modum homines interrogandi veniret judex, si est fragilis & fallax. Et quid aliud agunt hodierni JCti, qui tam operosè, solicitè, curiose & trepidanter hanc materiam tractant, quam quod Judici hoc Quæstionis genus suspectum reddant, ut deinde in conscientiæ foro sibi ipsi satisfacere nequeat, sed dubitare cogatur. Eodem modo loquitur tit. 50. §. 23. lib. 60. Βασιλικῶν. Propter audaciam vel formidinem. τῶν βασανιζομένων οὐ πάντοτε δεῖ πιστεύειν, ἢ ἀπιστεῖν τοῖς καταθέσεσιν αὐτῶν, *eorum, qui Quæstioni subjiciuntur, non semper est confessionibus habenda aut non habenda fides.* Scholiastes Græcus addit. ἀσθενὴς καὶ ἐπικίνδυνός ἐστι καὶ τὴν ἀλήθειαν ἔσθοτε ἀπατεῖ καὶ πλανῇ.

fragilis

fragilis & periculosa est quæstio & veritatem plerunque fallit.

§. 7. AB OFFICIO JUDICIS. Judicem non debere ex suspicionibus judicare extra controversiam esse puto. Patet illud 1. ex Deut. 17, 4. *Si scelus aliquod renunciatum tibi fuerit atque audieris, inquirito diligenter : ac si vera & certa fuerit res illa, &c.* 2. *ex ratione*, quia omne judicium, si est actus justitiæ, fluere debet ex recta ratione. At suspicio non est recta ratio. 3. *exemplis.* Sit unum de Pausania apud Nepotem in Pausan. Spartani *non putabant de Pausania claro viro suspicionibus oportere judicari.* Consentiunt leges quas ut alienas omittimus. At quæso, quæ tormenta Judicem certum reddere possunt, reum dolore & equuleo coactum vera dixisse & non mentitum fuisse? *Mentiuntur plerumque torti* Quintil. declam. 379. Adsit tamen magnus ille Episcopus Hipponensis Aurelius AUGUSTINUS l. 19. de Civ. Dei c. 6. cui uni malim credere, quàm centum ejusmodi, qui de torquendis Christianis scripserunt, Ethnicis. Notamus hic Augustinum Papiniano, Ulpiano, Paulo, Modestino fuisse posteriorem per integrum

seculum

ſeculum cum dimidio: adeoque horum doctrinam de præſumtionibus violentis, ſemiplena probatione &c. vel ex ſola praxi ipſi non fuiſſe incognitam. Quid autem dicit? *Hi judicant, qui conſcientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt &c. Quid cum in ſua cauſa quisque torquetur: & cum quæritur, utrum ſit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas: non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur. Ac per hoc ignorantia judicis plerumque eſt calamitas innocentis. Et quod eſt intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque ſi fieri poſſet fontibus lachrymarum, cum propterea judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, ut & tortum innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torſerat: Si enim ſecundum iſtorum ſapientiam* (veramne & non ſimulatam) *delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa ſuſtinere tormenta: quod non commiſit commiſiſſe ſe dicit. Quo damnato & occiſo, utrum nocentem an innocentem judex occideret, adhuc neſcit: quem ne innocentem neſciens occideret, torſit: ac per hoc innocentem, ut ſciret, torſit, & dum neſciret, occidit &c.* Jungimus Ethnicum Quin-

Quintil. declamat. 18. *Excedit omnem immanitatem, filium ideo torquere, ut scias, an innocens torqueatur.* Huc pertinent omnes disputationes Rhetorum pro tormentis & contra tormenta. Si enim causam juvant, tunc tormenta extollenda docent, ὅτι ἀληθεῖς μόναι τῶν μαρτυριῶν αὐταὶ. *quia veræ solæ ex testimoniis sint.* Si non? evertenda. quod ἀναγκαζόμενοι, *qui cogantur*, tam falsa dicant quam vera, & ῥαδίως καταψευδόμενοι, ὡς παυσόμενοι θᾶττον, *mentientes facile, ut requiescant citius.* Arist. lib. 1. Rhetoricorum c. 15. eadem habet Rhetor. ad Alexand. c. 17. ubi tandem concludit, τὰς μὲν οὖν βασάνους ἐκ τῶν τοιούτων πιθανὰς καὶ ἀπιθάνους καταστήσομεν. *Quæstiones* (sive tormenta) *ex iis probabiles & improbabiles constituemus.* At quod probabile tantum est, illud non est certum, multo minus excludit formidinem oppositi. In hoc enim differt probabile à certo, quod hoc excludat, illud includat formidinem oppositi. Similia habent latini Rhetores. Autor l. 2. ad Herenn. c. 1. cum pro tormentis etiam loquitur, illa confirmari *vult iisdem viis, quibus omnis conjectura tractatur, sc. ut trahatur ad verisimilem suspicionem.* Ciceroni ergò

con-

confessio in tormentis edita ultra conjecturæ & verisimilis suspicionis modum non ascendit: quæ sufficientem causam non præberet judici tantis cruciatibus ipsa morte acerbioribus hominem subjiciendi. In partitionibus c. 9. *non esse obscurum, in utraque parte esse exempla & ad Conjecturam faciendam locos.* lib. 2. Rhet. c. 2. *Nunc exponemus in conjecturalem constitutionem, qui loci communes incidere soleant, &c. quæstionibus credi oportere & non oportere.* Quintil. 5. Instit. c. 4. plenas esse ait de hac re *orationes Veterum ac novorum, & infinitam* circumstantiarum *varietatem.* Huc referri posset, quod Quæstio ad statum Orationis *conjecturalem* referatur. At hoc argumentum apud Artis peritos forsan non magnopere pugnaret.

Dices. Quæstioni non aliter fides habenda est, quam si finita quæstione, post aliquod temporis intervallum repetita confessio apud acta fuerit. Resp. habet & hoc Plautus in Truculent. Act. IV. scen. 3.

Rogavi ego vos verberantes & pendentes simul:
Commemini, quo quicque pacto sitis confessa: scio

Hic nunc volo ſcire eodem pacto, ſi ſine malo fateamini.

Id eſt ſine verberibus & dolore. 'At difficultatem non tollis. Sciunt enim niſi ad placitum loquantur Quæſitoris, ſe revocatum iri ad tormenta, ubi ſpontanea non cenſeri poteſt ejusmodi confeſſio, quæ ex metu periculi fit. Nec refert quicquam aliquis compulſus fecerit, vel metuens, ne compelleretur: Idemque de timore mali, cum præſens adeſt, quod de malo ipſo judicari ſolet. Id quod non obſcurè ap. Plautum ſignificat in Perſa Virgo cum ait act. III. ſc. I.

Cogita hoc Verbum Pater, Herus ſi minatus eſt
Malum ſervo, tametſi id futurum non eſt, ubi captum eſt flagrum
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miſeria. ego nunc quod
Non futurum eſt, formido tamen.

Qua ratione etiam timor armorum idem operatur, quod vis ipſa armis illata. Cicero explicat. pro A. Cœcin. *Tu vim negabis eſſe factam, ſi cædes & occiſio facta non erit? Ego exercitus maximos ſæpè pulſos & fugatos eſſe dico terrore ipſo, impetuque hoſtium ſine cujusquam non modo morte, verum etiam vulnere,*

nere. Et enim non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam multo major ea, quæ periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpè & certo de statu dimovet. & post, *dubium non est, quin major adhibita vis ei sit, cujus animus sit perterritus, quàm illis cujus corpus vulneratum sit.* Exemplo esse potest ipse Philotas apud Curtium l. c. quem licet in eculeo confessum, non ante damnari Alexander sustinuit, quam denuo ex intervallo rogatum, quæque fassus in tormentis fuerat agnoscentem. Agnovit quidem Philotas sed metu, *ne rursus excruciaretur.* l. 6. cap. 2. n. 36. Accedit & illud, quod plerumque judex vel Quæsitor interminetur, quæstionem se denuo de eo, ni fateatur, habiturum. Quo in casu omnino probabiliter existimandum est, rectè timuisse, cui per Judicis pœnale præceptum interminatum est, præcipuè cum minacem adhibuit vultum Quæstor, ut apud Senec. l. 3. controvers. 14. *instat tam denunciationibus quam tormentis tyrannus & minando torquet, tacet: videt intentum tyranni vultum, videt oculos minaces.* Quis enim non metu extortam confessionem interpretabitur, si

ab aſpero ſævoque quæſitore, qui quod pollicebatur, præſtare minasque ſtatim exequi poterat, interminatum compererit; maximè ſi is qui tortus eſt, ſit vel fœmina vel effœminatus & meticuloſus, qui omnia etiam eluſoria exhorreſcunt. Talem autem confeſſionem etiam apud acta deinde factam ſpontaneam eſſe & ſufficientem inducere probationem, nemo mihi perſuadebit. Scit enim niſi ad placitum reſpondeat quæſitoris, ſe iterum raptum iri ad eculeum. Ita & Callicles apud Plautum l. c. *edico prius*

Nec duplices habeatis linguas,
Niſi ad tintinnaculos vultis vos educi viros.

Quis has ancillas non perterrefactas diceret his feralibus minis, quæ jam tormenta expertæ erant. Extra dubium eſſe puto, ſi qui in conſpectum tormentorum deducantur, animos non mulierum tantum ſed & virorum lugubri iſto apparatu frangi. Sic Xychus ille apud Livium l. 40. *qui conſpectum tormentorum verberumque non ſuſtinuit: ordinemque omnem facinoris legatorum miniſteriique ſuis expoſuit.* Et Natalis apud Tacit. A. XV. 56. 7. *qui tormentorum conſpectum & minas non tulit.*

lit. quem pari imbecillitate secutus est Scevinus ibid. n. 3. Ita apud Livium l. 26. *Numidarum* transsfuga aliquis *cum literis ad Hannibalem captus cum tormenta posci & parari videret, fassus est.* Et l. 27. equites 4. Gallos & duo Numidas ab Asdrubale ad Hannibalem missos cum literis, *metus tormentorum admotus fateri vera coëgit.*

§. 8. AB HORRORE NATURÆ. Nam *vivunt tam multæ gentes & barbaræ, quæ ferum & inhumanum arbitrantur torqueri hominem, de cujus facinore dubitatur.* & post. *profecto carnifices animos habemus, qui sustinere possumus gemitus & lacrymas tanto cum dolore expressas, hominis, quem nescimus sitne nocens.* Lud. Viv. ad l. 19. August. c. 6. *Si mori oporteat, quod genus feritatis est ipsum prius excarnificare &c. Populus tam horrendam feritatem videre non assuefactus ex hac miseria dolorem hauriret: Principem quoque & judices abominaretur, qui tale genus crudelitatis inveherent.* Schmith. de Repub. Angl. l. 2. c. 24. Etiam sontibus & reis suo modo debetur commiseratio; nedum illis, quos sontes esse nondum exploratum habemus. Bias damnaturus aliquem ad mortem, lacrymatus est,

τῇ φύσει τὸ συμπαθὲς *naturæ affectum, legi suffragium reddidit*. Stob. 44. Sidon. Apoll. l. 1. Ep. 7. laudat Imperat. *quibus amare palam liceat & capite damnatos*. Lactant. l. 6. Inst. *maximum scelus putat odisse hominem vel nocentem*. Tacit. A. VI. 19. inter alias Tiberii crudelitates & hæc recenset. *quod amicis* damnatis & occisis *adsistere, ad lacrymare; ne visere quidem datum*. & post. *Interciderat sortis humanæ commercium vi metus: quantumque sævitia glisceret, miseratio arcebatur*. Si autem miseratio etiam damnatis debetur; multo magis illis, de quorum scelere adhuc dubitatur.

§. 9. A VETERUM INIQUITATE. Nam & servi in causa Dominorum rapiebantur ad tormenta, *qui tamen nihil commiserant*. Quamvis Cicero pro Dejotaro significet hoc interdum *de more majorum fuisse vetitum*: attamen apud Tacitum. A. II. 30. 4. & 5. in causa Libonis *servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere SCto quæstio* in Caput Domini prohibebatur, callidus & novi juris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico jubet: sc. ut in Libonem ex servis salvo SCto quæreretur. Arcadius sancivit, si ea rei conditio sit, ubi

ubi Arenarium testem vel similes personas admittere cogimur, sine tormentis, testimonio eorum credendum non esse: sicut nec servis olim sine quæstione credebatur.

Dices. *Personis vilissimis ut arenariis, servis, &c. sine tormentis non creditur, quod contumaciter & obstinatâ suâ malitiâ reticere veritatem intelligantur.* Resp. 1. in tenui fortunâ major sæpe hominum integritas, ut qui nullam jacturam bonorum exhorrescunt; quam in aliis, quos varia pericula fortunarum, honoris, famæ &c. turbare possunt. 2. Ad minimum sunt homines, qui, secundum contrariæ opinionis assertores, æquè naturâ nati sunt liberi & æquales. Etiam *in mancipio cogitandum*, inquit Seneca. l. 1. de Clementia. c. 18. *non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura.* Sicut autem per servitutem aut vilitatem non desinit esse homo ad imaginem DEI creatus: ita etiam longè præstantior est, quàm ut propter civilia delicta torquendus sit. Id. Ep. 31. in fin. *Animum rectum, bonum, magnum, quid aliud voces, quam Deum in humano corpore hospitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quam*

in libertinum, quam in servum potest cadere. Quid est Eques Romanus, aut libertinus, aut servus? Nomina ex ambitione aut injuriâ nata. Fluit hæc opinio ex veterum duris de servorum conditione placitis, *servum totum esse Domini, nec juris aut injuriæ capacem, habendum pro mortuo & nullo, Dominum habere jus vitæ & necis, &c.* quæ Christiana Religio dudum mitigavit. Juvenalis sat. VI. dum loquitur de Dominis præcipitanter nimis servos ad crucem rapientibus *Nulla unquam de morte hominis (etiam vilissimi) cunctatio longa est,* exclamat: ita & nos, quando ob pecuniariam causam vel in casu testimonii deponendi ita abripiuntur. *Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè vivere, æquè mori. Tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te servum.* Senec. Ep. 47. Auget rem, quod in causis olim pecuniariis tantum, servi tamen ad torturam rapti fuerint. Nam Divus Pius rescripsit, *posse de servis haberi quæstionem in pecuniaria causa, si aliter veritas inveniri non possit.* Et Diocletianus, *interrogari servos de facto suo, non solum in criminali causa, sed etiam in pecuniaria posse non ambigitur.*

At

At nulla est proportio inter tam acerbissimos cruciatus corporis, & pecuniam. Etiamsi concederemus in delictis atrocibus, quæ pœnam capitalem post se trahant, non plane absurdam esse quæstionem: in causis tamen pecuniariis, & ubi tantum pecuniæ periculum est, nullam proportionem invenire possumus. Absurdum enim est, ejusmodi probationes criminis petere, quæ ipsa pœnâ crimini debitâ sunt acerbiores. Si in causis liberalibus, cum de statu quæritur, cessant tormenta, cur non etiam in pecuniariis. Longè autem illa gravior est, ideoque etiam judicibus pedaneis ademta. Atque ex his fundamentis miramur, cur Pontifex Alexander III. c. 1. X. Depositi. Clericum depositarium propter rei depositæ furtum torturæ subjiciat, cum aliàs furtum tantum sit delictum privatum, nec capitis pœnam de jure antiquo post se traxerit.

§. 10. EX COMPARATIONE CUM CENSURA ECCLESIASTICA, quæ sine torturâ peccata corripit. Habet illa suas pœnas, interdictum & excommunicationem sive majorem sive minorem; atque

ſic ſine violentis mediis tendit ad ſuum finem. quæ indagare nequit, Domino commendat uſque ad meſſem & plenam eradicationem zizaniorum. Auguſt. lib. 3. contr. Epiſt. Parmeniani c. 2. *Miſericorditer corripiat homo, quod poteſt. Quod autem non poteſt, patienter ferat, & cum dilectione gemat ac lugeat, donec aut Deus deſuper emendet & corrigat, aut uſque ad meſſem differat eradicare zizania & plenam ventilationem.* Cur igitur Respub. non poſſet tendere ad ſuum finem ſine tormentis.

§. II. A MULTIS DIFFICULTATIBUS, *quibus ſe contrariæ ſententiæ Patroni intricant.* 1. *An tortura ſit meri vel mixti imperii? quod ſit crimen grave aut leve? An inceſtus jure civili fuſtigationis tantum pœna coërcendus? An in criminibus extraordinariis, quæ definitam pœnam non habent, ſed quam judex extra ordinem pro arbitrio imponit, tortura locum habeat? An furtum, an fœnus improbum torturam admittat? An ſi ex maleficio civiliter agatur in cauſa pecuniaria? ſi ſit magna pecuniæ ſumma? ſi annexum habeat delictum? ut Mercatores falliti? An feudi Dominus, ſi Vaſallus grave crimen commiſit, ob quod feudum amittitur, poſtulare queat, ut Vaſallus tormentis ſubjiciatur?*

ciatur? An accusatori probationibus se destitutum asserenti juramentum deferendum? At si judex sine indiciis aliquem ad torturam rapiat, ille etiam crimen fateatur, ac post torturam demum superveniant indicia legitima, Reus ex confessione sua damnari possit? Quomodo differat indicium, conjectura, præsumtio, suspicio? An unius testimonium de crimine admisso præbeat indicium ad torturam? An confessio propria, fama, fuga, trepidatio, loci accessio, inimicitia capitalis, vultus mutatio, silentium, assertio de sociis, de mandatore delicti, de paciscente; sic frequentatio loci, vicinus malæ conditionis, postulatio rei ultronea, ut in se inquisitio fiat, denunciatio ejus, qui se vidisse flagitium ait, conversatio cum malis, receptatio, associatio, secreta allocutio, Physiognomia, &c. sint indicia sufficientia ad torturam? Prætereo nunc indicia specialia furti, rapinæ, adulterii, veneficii, infanticidii, &c. quæ & dubia & intricata, & infinita ferè, vix omnia comprehendi possunt. An per unum testem fide dignum probetur indicium? plures testes singulares quando faciant indicium? an admittendi ad testimonium minores, mulieres, infames, inimici, inhabiles? an detur appellatio in his rebus? Quæ sint illæ personæ, quæ tormentis interrogari non possunt?

Quan-

Quantum adhuc Chaos reſtat de generibus torturæ, de modo torquendi, ſic an tortura repeti poſſit? quando rei confeſſio tormentis expreſſa ſit rata? quid agendum, ſi revocetur? quid cum judice faciendum, ſi reum illegitimè torſit? &c. Vix ſanè judex è tantis tricis ſe extricabit, aut in ſuæ conſcientiæ ſcrutinio ſecurus erit, ſe modum non exceſſiſſe. Eſt ſanè res ardua & graviſſima, ubi de capite hominis agitur: non hîc ludendum aut dubitanter aut trepidanter agendum: ſed omnes conſultationes, definitiones certo fundamento niti debent; quale vix ullum ſperari poteſt in tanta diſſenſione Dd. & opinionum.

§. 12. A PAUCITATE PERSONARUM, quæ torturæ ſubjici poſſunt. Excuſantur enim à tormentis impuberes, furioſi, mutus & ſurdus, ſenex, gravi affectus valetudine, fœmina prægnans, puerpera, omnes, quibus nomen Clariſſimi competit, ut perſonæ Illuſtres, Nobiles, Senatores, Equites, Doctores; ſic & clerici, milites, Decuriones, &c. Manet ergo tortura Plebejorum propria. ſi autem Respub. poteſt conſiſtere ſine tortura eorum, qui potentia, autori-

autoritate, ſcientia armati plus nocumenti dare & magis delicta ſua celare poſſunt, cur ergo viles tantùm animæ & plebejæ torturæ ſubjiciuntur, à quibus ſcelera nec tanta, nec in tanto ſecreto metuenda.

§. 13. Claudimus noſtras rationes teſtimonio B. Lutheri, qui tom. 7. Jenenſi. fol. 359. & ſeqq. quamvis non ex toto damnet, neganti tamen propior videtur in ſcripto contra Epiſcopum Magdeburgenſem. Weil die Marter im Kercker ein fährliche Rechtfertigung iſt/ und ohne Noth nicht zugebrauchen iſt/ dann offt Unrecht da begangen wird: und der Cardinal eine feine Bruck/ ja eine offentliche freye Straſſe für ſich hatte zum Recht/ ꝛc. ſo hätte er ſollen Gottes Gebott nach/ dieſelbe freye Straſſe gehen/ und GOtt nicht verſuchen mit der fährlichen Rechtfertigung/ dann alle Menſchen/ es ſeyen Richter oder Part ſein ſchuldig/ daß ſie GOtt nicht verſuchen. Darum ob der Cardinal für der Welt ſolche Rechtfertigung ſchmücket: ſo iſt er doch damit vor GOtt verdammt/ als der ſie mit Gottes Verſuchung gewonnen/ ꝛc. & poſt. p. 360. Wie offt iſt es auch mehr geſchehen/ daß etwann Leuth ſein

sein hingericht auff ihr Bekandtnuß/ da man hernach über etliche Jahr erst bekommen hat die recht schuldigen; und ist jenem gleichwohl unrecht geschehen. Daß rede ich darum/ wie oben gesagt/ wo man das liechte tägliche Recht haben kan/ soll man solch finster Nothrecht meiden/ oder heißt GOtt versucht/ das ist verbotten bey Gottes Zorn und Ungnaden/ ꝛc. Adjungimus Ludovicum Vivem in Augustinum. l. 19. de C. D. c. 6. Zepperum de LL. Mosaicis. l. 5. c. 10. Grevium, quem tamen videre non contigit in *Tribunali reformato*, qui expressè nostram defendunt sententiam.

CONTRARIAM SENTENTIAM si expendamus, multa occurrunt notatu digna. Sequamur vestigia Wesenbecii Paratit. l. 48. ff. tit. 18. Ita ille numero 1. Quia vero crimina plerumque clam arbitris & occultè committuntur, ut sæpè copia testium haberi non possit, ideo more majorum introductum esse inquit Cicero part. Orat. ut per tormenta veritas exquiratur &c. Ex quo discursu aliquot formari possent objectiones.

Ob 1. Praxin introductam aliud velle. Resp. Quid Praxin memoras? Sic etiam *Parrhasius Pictor Atheniensis* excusatur, qui *cum Philippus captivos Olynthios venderet, emit unum ex his senem, perduxit Athenas, torsit* usque ad mortem *& ad exemplar* deficientis *pinxit Promethea, deinde tabulam in templo Minervæ posuit.* Ita enim excusatur apud Senec. l. 10. controvers. 5. multum *semper licuisse artibus. Medicos ut vim ignoratam morbi cognoscerent, viscera rescidisse: hodie cadaverum artus.* Sed sit Praxis. Quoties theoria recedit à Praxi? quoties etiam apud illos ipsos; Labeo aliquis fiducia ingenii quædam innovat à communi consensu Doctorum recedentia? Philosophia libere res tractat, nec curat quis dixerit, sed quam verè dicatur: Amicum judicat Socratem, Platonem, Ulpianum, Paulum, Modestinum &c. sed magis veritatem.

Dices. At etiam Honorius & Arcadius, Valens, Valentinianus, Justinianus, & Impp. Christiani hæc retinuerunt. Respondet Lud. Vives ad L. 19. C. D. c. 6. *Miror Christianos homines tam multa Gentilia, & ea non modo charitati & mansuetudini Christianæ con-*

contraria, ſed omni etiam humanitati, mordicus tanquam religioſiſſima retinere.

At, inquit Weſenbecius, *pleraque crimina clam arbitris, & oculte committuntur, ut ſemper copia teſtium haberi nequeat: ita multa ſcelera manerent impunita.* Reſp. Quod mandatum divinum, quæ neceſſitas Reip. exigit, ut omnia ſcelera occulta à judice temporali eruantur & puniantur? Excuſatur judex, ſi debitam adhibuit diligentiam: quæ veſtigare nequit, ſupremo judici relinquat: ut ad dira iſta tormenta decurrat opus non eſt. Imò auſim dicere, Deum certo reſpectu non velle, ut omnia occulta à judice temporali eruantur & puniantur, quia *ſtatuit Diem, in quo judicaturus eſt orbem terrarum*, Act. 17. 31. Hîc, hîc erit illud tribunal, coram quo occulta producentur & examinabuntur. *Nihil erit opertum, quod non revelatur* Matth. 10, 26. Conf. Marc. 4, 22. Luc. 8, 17. c. 12, 2. Hinc dicitur *Dies ἀποκαλύψεως Revelationis*, quia tunc revelabit Deus occulta cordium. 1. Cor. 4, 5. ac libri aperientur, in quibus omnia cogitata, dicta, facta etiam occultiſſima ſcripta ſunt. Apoc. 20, 12. Hic eſt ille Dies, quo *judicabit Deus occulta hominum*,

minum. Rom. 2, 16. *cum Dominus venerit, iste illuminabit abscondita tenebrarum.* 1. Cor. 4, 4. Cur judex secularis occuparet alienum negocium, & tam diris modis inquireret occulta, quæ DEUS sibi reservavit. Eleganter Chrysostom. hom. 46. ad Popul. Antioch. *Nec ab omnibus*, inquit, *hic exigit Deus, ne resurrectionem desperes, & judicium desinas expectare, quasi omnes hîc reddant rationem. Nec rursum omnes abire permittit impunitos, ne rursum omnia providentiâ carere putes. Verum & punit & non punit. Et in quantum punit ostendit, quod hic punitos, & illic rationem exposcet. In quantum autem non punit, facit ut credas, quod est aliquando post præsentem peregrinationem tremendum tribunal.* Ut ergo Magistratus in consultando *consilia, quibus impar est, fato* i. e. Deo permittit. Tacit. A. VI. 46, 4. ita & in vindicando, postquam debitam adhibuit diligentiam, iniquos Deo *in diem judicii reservat cruciandos.* 2. Pet. 2, 9. Non absurdè Alexander Papa q. 6. 15. c. 1. *Si omnia in hoc seculo vindicata essent, locum divina judicia non haberent.* Insuper ex criminibus clam arbitris commissis citius Judex *remota tantum indicia* ad torturam non sufficientia &

ſuſpiciones hauriet, quam *ſemiplenas probationes.*

Dicesc*um Paris de Puteo* tract. de ſyndicat. & tortura v. de repetition. n. 6. *Sine timore torturæ non poſſet mundus in pace ſtare.* & cum aliis, *aperiretur occaſio delinquendi, quia vix per aliam inquiſitionem delicta protrahi in lucem & veritas cognoſci poſſet.* Reſp. 1. per inſtantiam. Respub. Davidica & Salomæa in pace ſtetit ſine tortura: ſic & alia regna quorum ſupra mentionem fecimus. 2. Melius eſt, ut dimittantur centum nocentes quam condemnetur unus innocens; interim rariſſimè contingit, ut judex nulla inquiſitione penetrare queat. 3. Dantur adhuc alii inquirendi modi. Laudat Auguſtinus Ep. 159. & ſeqq. Marcellum Tribunum, *quod horrenda facinora Donatiſtarum eruerit, non extendente equuleo, non ſulcantibus ungulis, non urentibus flammis, ſed verberibus virgarum:* Contrariæ ſententiæ Patroni negant aliàs de ſe confeſſum, ne aliena ſalus in dubium vocetur, in caput aliorum quærendum. At ſi hæc ratio apodicticè concluderet; cur non liceret etiam ex ſponte confeſſis alios quoque ſontes eruere, & ſontes exterminare.

Pro-

Provocat Wesenbecius ex Cicerone ad Atheniensium & Rhodiorum Rempubl. At has benè constitutas fuisse Respublicas unde probabit? Exempla imitanda non ex deterrima Democratia, ad quam Atheniensium prolapsam fuisse Philosophus 2. *pol.* 10. non diffitetur, desumenda sunt, sed ex bene formatis Rebuspublicis, qualis fuit Davidica & Salomæa.

Pergit Wesenbecius n. 3. *Causa efficiens quæstionem est, Mos antiquissimus omnium ferè bene institutorum Populorum communis, ut non immeritò pro jure gentium habeatur.* Parcius ista viris. Apud Ethnicos semper occurrunt Ethnicæ tenebræ. Non omnis mos antiquissimus statim probatus est, & jus gentium facit; quin *longa consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* c. consuetudo. dist. 8.

Dices cum eodem n. 6. & 7. non *statim hominem ad equuleum rapiendum sed* 1. *tum cum veritas aliter haberi non potest.* 2. *cum reus multis indiciis oneratus & pene convictus est, ita ut indicia illa faciant semiplenam probationem.* Resp. 1. Si veritas aliter haberi non potest, satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quam nondum convictum

ipsâ ordinariâ pœnâ acerbioribus cruciatibus ſubjicere, aut pro *incerto ſcelere* ut loquitur Auguſtinus. l. c. *certiſſimas pœnas exigere.* Quæ enim neceſſitas juris divini aut naturalis cogit judicem, ut tam diris & duris mediis verum inquirat. Satis functus eſt ſuo officio judex, ſi omnibus aliis mediis tentatis verum elicere non potuit, reliqua divino judicio commendet. Melius enim eſt ut dimittantur centum nocentes, quàm damnetur unus innocens. Quin quod rariſſimè contingat talis aliquis actus attrociſſimus, quem nulla inquiſitione penetrare queat judex. Quis autem culpabit, ſi in ejusmodi rarioribus contingentibus rem Deo committat. At Pontificia Gloſſa per canonem illum 59. *Quæſtionem. q.* 12. *t.* 2. qui & habetur *l.* 1. C. *de Quæſtionibus*, intelligit quæſtionem in crimine Majeſtatis, adulterii, fraudati cenſus & homicidii *nullis præcedentibus indiciis.* format ſibi objectionem. *Dicunt quidam, quod nec in exceptis criminibus ſervus contra Dominum admittitur, niſi aliqua præſumtio præcedat.* Reſpondet deinde. *Sed litera hoc non patitur. Dico ergo hoc ſpeciale, ut initium ſumatur à tormentis.* 2. Inſuper in-

intricata adhuc res eſt, inter indicia remota & propinqua; dubitata, indubitata; juris & facti; levia, gravia, graviſſima. Quis hic nobis ſuggeret filum Ariadnæum, quo nos ex hoc labyrintho extricemus? Quid ſi indicia concurrant inter ſe pugnantia? E. g. ſi teſtes dicant. Vidimus Sempronium noctu occidi; & tamen fuerit nox illunis.

3. Diſtinguendum etiam eſt inter indicia, quæ corporis cruciatum non important, aut cauſam crimininalem: ſed tantùm ad alia Civilia reſpiciunt. In his faciliùs judicem indicia ſequi & tutiùs poſſe concedimus, quia fieri poteſt reſtitutio, quando indicia fallunt. Ita Salomon 1. Reg. v. 26. ex ςοργῇ naturali indicium ſumit, quæ ſit vera mater infantis. An verò tale ſufficiens fuiſſet ad hominem torquendum, adhuc dubitari poteſt. Ita indicium eſt apud illos etiam, Ordinat. Crimin. Art. 29. ſi homo cum gladio cruento prodeat è loco, aut conſpiciatur in loco, ubi homo trucidatus eſt. At & hoc fallere poteſt. Autor. l. 1. ad Heren. c. 5. n. 30. ponit caſum. *Ajax in ſylva, poſtquam reſcivit, quæ feciſſet per inſaniam, gladio incubuit.*

 Ulyſ-

Ulysses intervenit : occisum conspicatur : è corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit, cum fratrem occisum, & inimicum fratris cum gladio cruento videt, capitis accersit. Incidit h. l. illud indicium, *cum cadaver hominis interfecti in præsentia ejus, qui de homicidio illo suspectus est, sanguinem effundit.* Multum à multis huic indicio deferri scio. At quomodo illud, quod supra naturam est, & cujus causa nobis occulta, nobis naturaliter probabit; imò quod pugnat cum natura, sc. *cadaver exangue habere sanguinem, & corpus frigidum egerere sanguinem.* Judicis est arbitrari, sitne indicium sufficiens; at quomodo ratiocinabitur, si tota res intellectum judicis superat. Tortura sanè res est præjudicii gravissimi, ad quam Judex procedere non debet, nisi ex causis humano intellectui convenientibus. 4. At nos Philosophicè progrediemur in hac re. Quintilianus l. 5. Instit. c. 9. distinguit Signa (JCtis *indicia*) in τεκμήρια sive necessaria, & σημεῖα sive non necessaria, e. g. ille, sine cicatrice est. E. ferro non est vulneratus: hic, vestem cruentam habet, E. homicidium fecit. At hoc nil operatur; potuit enim sanguis vel ex naribus

ribus profluxisse. Aristoteles Rhet. ad Alexandr. cap. 13. distinguit inter *Signa*, quæ *opinionem* faciunt, & quæ *scientiam.* Areopagitæ olim damnabant puerum coturnicum oculos eruentem propter signum perniciosissimæ mentis, multisque malo futuræ, si adolevisset. Spurio Melio & M. Manlio popularitas signum affectati regni fuit. Ergone sufficiens? *Nulla res est*, inquit Cicero. c. 1. l. 2. ad Herennium de signis, *quam non suspicionibus quivis possit criminari.* Idem Cicero in Partit. Orat. c. 16. inter signa *propriè attingentia eos ipsos, qui arguuntur*, refert *telum*, *vestigium*, *cruorem*, *deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumque*; *responsum inconstans*, *hæsitatum*, *titubatum*, *&c.* At Quintilianus casus ejusmodi ponit in suis Declamationibus, quibus etiam pars innocens onerari potuisset. Illud exemplum facilè concesserim, quod Cicero l. 2. de inventione habet. *Si peperit. E. cum viro concubuit.* At tales indubitatæ notæ, occurrunt rarissimè.

Dices cum Quintiliano l. 5. c. 12. *Hæc imbecillia naturâ mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt, quia multa*

sunt &c. Singula levia sunt: universa verò nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine. Resp. At & hæc refelluntur contrariis artibus. *Dicemus hoc modo*, inquit Cicero ad Herenn. l. 2. *nullam rem esse, quam non suspicionibus quivis possit criminari: deinde unamquamque suspicionem extenuabimus, &c.* Noluimus huc trahere *colores* in Senecæ controversiis passim.

Videmus illic plures colores, non tamen perfectam probationem facere. Eodem modo plures verisimiles conjecturæ non tamen perfectum aut indubitatum faciunt indicium. neque enim si plura imperfecta, ut oculum, manum, pedes conjungas, statim hominem facies. Dices. Sufficiunt ad quæstionem, non ad condemnationem. Resp. At Quæstio morte durior est, ut suprà ostensum. Imò quod in se semiplenum, id neque aliis conjunctum fiet plenum. neque enim si plures claudicantes conjungas, statim incessum rectum & plenum efficies. In causis civilibus aliquid concesserim: at in criminalibus, ubi de vita hominis disceptatur, res certa esse debet.

5. Magna adhuc & intricata quæ-

quæstio est: *Quæ sint illa indicia, quæ faciunt semiplenam probationem?* Duo testes faciunt plenam probationem, non tamen sequitur, E. UNUS TESTIS facit semiplenam probationem. Non. Nam & duo faciunt numerum, non tamen statim unitas facit seminumerum. *Unius* autem *testis non sufficit assertio, etiamsi præjudiciali refulgeat dignitate*, ait Pontifex Innocent. III. c. licet. X. de Testibus. Quod Ordinatio Criminalis Caroli V. art. 30. habet, scimus, sed nos Philosophicè, i. e. theoricè, non practicè disputamus. Sic etiam CONFESSIO PROPRIA EXTRA JUDICIALIS. Nam & hic est testis unus, qui nunquam seriò in caput suum periculum inducet; & quod privatim dixit, facilè contraria confessione perimere potest & revocare. Non FAMA. Nam hæc tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri; hæc veris addere falsa gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit. Quis enim ab istis in secreto stridentibus viperis immunis est, quæ venenatis suis censuris & susurris sæpe optimos viros subvertunt? *Fama malum? an quia plurimùm mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid*

veri

veri affert, sine mendacii vitio est, detrahens, abjiciens, demutans de veritate? Tertull. Apol. c. 6. Est & hoc contra Sac. literas, Exod. 23, 1. *non sequeris vocem mendacii*, i. e. sinistram de aliquo famam. Levium ergò hominum, non sapientum est vanum aucupari rumorem. Non FUGA. quia etiam innocens & minimè reus fugere potest, ne de facto apprehendatur, & in carcerem indignè conjiciatur. Sic nec discipulo aut servo vitio vertitur, si ad tempus se subtrahat, ut iracundiam Domini aut Magistri evitet. Alcibiades citatus ab Atheniensibus ad caussam capitis dicendam noluit venire, & Aristoteles quoque noluit committere, ut Athenienses bis peccent in Philosophiam. Reliqua indicia, ut *inimicitiæ capitales*, sunt remota indicia; sic & *minæ*, cum raró homines minas, quas in calore præcipitant, exequantur: *inconstantia* & variatio sermonis vel etiam *trepidatio rei*, quæ non tam ex mala conscientia, quàm ex metu impendentis torturæ oriri potest: sicut illa ex lapsu memoriæ turbatæ per imminentia pericula. Sunt etiam quidam naturâ timidi, quando in publico ipsis loquendum est, quod

vel

vel exemplo ipſius Ciceronis & Demoſthenis ſummorum Oratorum probari poſſet. Cætera indicia tranſimus ceu remotiora: ut *frequentationem loci*, ubi aliquid patratum, *inſolitum acceſſum*; quæ alio fine fieri poſſunt, quàm ut maleficium patretur, ubi unusquisque magis bonum, quàm malum præſumere debet in iis, quæ in mitiorem partem interpretari poſſumus; *vicinum malæ famæ, converſationem cum improbis*. Nam & Noah, Loth, ipſeque Salvator cum improbis vixit. *Receptationem*, quæ ex ignorantia vel conſanguinitate aliquando accidere poteſt. *auxilium ad fugam vel aſylum*, quod vel miſeratio vel amicitia ſuadet. non *impedientem*, quia aliquando cum propriæ ſalutis periculo conjuncta eſt iſta obviatio maleficii. *Natione infamatum*. Nam aliàs omnes Cretenſes delinquentes rapiendi eſſent ad torturam, quia Paulus Tit. 1, 12. dixit, Cretenſes ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros, & hoc teſtimonium verum eſſe. *Non eum, apud quem res furtiva inventa eſt*. Nam & ſic Benjamin Gen. 44, 12. apud quem Scyphus Joſephi inventus fuit, torqueri potuiſſet. Sufficiant hæc,

quis

quis enim omnia omnium maleficiorum indicia comprehendet? 6. Insuper non leve dubium superest. An judici sufficiant ista indicia, quæ ex rumore tantùm vulgi ad aures ipsius pervenerunt: an verè etiam ista *indicia* prius judici probanda sint? Si hoc, quot testibus? Unus testis *jure divino* rejicitur, sine exceptione: an sit ocularis vel auritus. Plures testes sufficientes rarò in ejusmodi criminibus occultis adsunt. Testes singulares, pueri, minores, infames, mulieres, inimici, domestici vix fidem facient. Per tot ergo ambages Judici eundum est, usque dum ad *indicia* perveniat: deinde demum ad Quæstionem ipsam rem valdè ancipitem & periculosam, i. e. per dubium ad dubium. *Innocentius III. c. cum oporteat.* 19. *X. de accusationibus*, inimicos aliosque inhabiles ne quidem ad inquirendum admittit. Augustin. l. qq. V. T. quæst. 54. *mulier nullam autoritatem habet: nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, &c.* Quis enim in causa criminali admittere mulierem, quæ ne quidem in testamento testis est idonea. 7. Quid quod indicia ab aliquibus adferantur ridicula, ut turpe aut *malum*

nomen

nomen esse indicium ad torturam; quod adeo placet *Ludovic. Cares in pract. Criminal. tract. de indiciis & tortur. indic.* 29. ut alleget exemplum Abigaelis de Marito suo Nabal loquentis 1. Sam. 25, 25. *quoniam secundum nomen suum stultus est.* At quamvis *conveniant rebus nomina sæpe suis*, id fit per accidens, quod & Quintil. l. 5. c. 10. ostendit, *nomen in argumentum rarò cadere, nisi cum aut ex causa datum sit, aut & ipsum alicujus cogitationis attulit causam.* Nec tantùm *nomen* esse indicium sunt, qui censent, sed & illum primum è complicibus torturæ subjiciendum esse, ut magis suspectum. Hippolyt. de Marsil. *in pract. Criminal. §. expedita. num.* 52. *& ad l. 1. §. 1. n. 71. ff. de Quæst.* Francisc. Cason. *tract. de torment. c. 13. n. ult.*

Dices tandem n. 12. *Finis torturæ est ut veritas tantum exprimatur, non ut quis puniatur.* Resp Solus finis non facit rem justam, si ipsa media quavis ferè pœnâ capitali acerbiora sunt. Lusus est in vocabulis, aliquem non punire, & tamen doloribus aut cruciatibus ferè enecare. *Crudeles illos vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem ajunt*

non quidem in homines innocentes, sed super humanum aut probabilem modum sæviisse. Senec. l. 2. de Clem. 4. At dolores morte ipsa & pœna capitali non minores inferre, quid aliud est, quam punire. Alii adducunt Isidorum Pelusiotam l. 1. Ep. 116. *Cum sapiens veritatis inventum habeas, multiplicem tormentorum machinam, timore ad judicium utere: quandoquidem divina lex improbis te constituit terrorem.* Resp. Isidorus Monachus de eo loquitur, quod fiebat suo tempore, non quod fieri debuisset. Ivit ergo, non qua eundum erat, sed qua ibatur. Quid si diceremus, Isidorum errasse? vixit jam Theodosii junioris tempore & practicè locutus est, non theoricè. Vigebat tum temporis quæstio & tantum in diebus Quadragesimæ, ut ex Codice Theodosiano l. 9. tit. 25. patet, suspendebatur. Prolixus titulus extat tom. 7. Oper. Basilici, qui est tit. 50. lib. 60. quemadmodum quæstio apud Græcos fuerit exercita. Quid igitur mirum, si erret communem errorem. Keckermannus l. c. disp. 32. q. 4. aliter excipit. *Si nullo planè, inquit, dolore veritas extorquenda esset &c. necessariò sequeretur, aut sceleratos ad*

sup-

supplicium esse trahendos, etiamsi nulla eorum propria confessio accedat, aut ex centum flagitiosis vix unum esse puniendum. sc. propter defectum in talibus criminibus testium. Resp. Quæ necessitas juris naturalis requirit confessionem. Apud Anglos quæritur Reus, quomodo decerni rem velit, monetque, respondendum esse, *Dei populique judicio*; id postquam responderit, nempe *Dei populique judicio decerni volo.* Schmith. l. 2. Reip. Angl. c. 26. tum *sive fateatur, sive diffiteatur, absque mora, si Duodecim-virorum calculo condemnetur, diem ultimum obire necesse est.* id. l. c. 17. Confessionem quidem Jonæ & Achan legimus; at illa fuit spontanea, non per torturam extorta, in casibus divinitus manifestatis, ubi nulla prius aderant indicia. Si delinquens Reus *evidentibus probationibus convictus*, tamen persistat in negatione sua, condemnari potest, omissa torturâ. Peinliche Halsgericht Ord. Art. 69. Si desint evidentes probationes, in tantum puniendus, in quantum inquisitione est penetrabilis. Reliqua Deo committenda sunt. Actus enim ex se non cognoscibilis, non est judicabilis. At occulta post diligentem inquisitio-

nem non sunt cognoscibilia. Ergo. Pergit Keckermañus. Quomodo satisfieret severissimis mandatis divinis. Exod. 22. *Maleficos ne sinas vivere.* & Deut. 19. *Non misereberis ejus, & auferes noxium sanguinem de Israël, ut bene sit tibi.* Resp. Hæc intelligenda sunt de Maleficis, quorum scelera *diligenti inquitione* eruta sunt, aut erui potuerunt, ne sc. illa judex negligentiâ suâ evanescere, aut inulta transire sinat. Deut. 13, 14. injungitur judici, *ut inquirat diligenter:* nec tamen ut per torturam. Ita & Jobus 29, 16. causas, quas *non norat, investigabat.* Et Daniel in historia Susannæ v. 48. *Adeone stulti estis Israëlitæ, ut filiam Israëlis, non disquisita causa, nec apertè cognitâ, condemnetis?* Diligenti igitur inquisitione, sed sine tortura Deus contentus erat. Si quæ verò scelera ita in secreto patrata sint, ut omnem diligentiam judicis effugerint, illa judex non tenetur punire, & Deus voluntate contentus est. Deut. 21, 7. 8.

Tandem aliud subtilius torturæ genus suadet, sc. VIGILIAS, *prout fit in Hollandia, ubi adhibito ad reum custode, qui dormire volentem semper excitet, maximorum scelerum confessiones feliciter ex-*

extorquentur. Placet hæc opinio etiam *Binsfeldio in comm. in tit.* C. *de Malef. & Mathem. Hippolyto de Marsil. ad l.* 1. *in princ. n.* 55. *vers. aliud est tormentum. ff. de Quæstionib.* At hæc opinio vix *Juridicè* ſubſiſtit, multo minus *Philoſophicè.* Non *Juridicè* quia illi ad eſſentialia Quæſtionis requirunt *vim* & *tormenta corporis.* Hinc in Jure uſitatiſſimæ phraſes, *tormenta*, *torquere*, *interrogare per tormenta &c.* & clariſſimus locus. l. item apud. 15. §. quæſtionem. 41. ff. de injur. *Quæſtionem intelligere debemus tormenta &* CORPORIS DOLOREM *ad eruendam veritatem.* & poſt: *cum igitur per vim & tormenta habita est quæſtio: tunc quæſtio intelligitur.* At vigiliæ non in ſe continent dolorem corporis. Non *Philoſophicè*, quia vigiliæ nimiæ homini mentem adimunt, turbant rationem. Tactu enim, pulſione, clamore &c. excitatur ſenſorium, ut ſenſus externi quieſcere nequeant, atque ita etiam internos moveant. His autem nimium affectis ſpiritus animales exagitantur, accenduntur, & conſumuntur. Unde tandem ſenſuum internorum, memoriæ, imò & rationis defectus ſequitur. Quis autem deliri

confessione in judicando nitetur? *Novi quendam*, inquit Galenus l. 3. de Locis Affectis c. 5. *qui ob laborem in studiis atque vigilias memoriam penè amiserat, læsa etiam ratione.* Taceo alios morbos, qui ex nimiis vigiliis oriri possunt. Hippoc. l. 2. Aph. 3. *Somnus & Vigiliæ, si modum excesserint, malum.* & l. 7. Aph. 18. Propter Vigiliam σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, *convulsio aut desipientia.* Galenus ibid. *Maximam vacuandi & exsiccandi vim habent Vigiliæ, atque propterea à siccitate convulsionem adfert & desipientiam.* Altera ratio esse potest quia jurisdictio Civilis per se non versatur circa *actus internos.* Ratio est, quia *potestas coactiva* se eò usque ad interna non extendit. *Cogitationis pœnam*, inquit Imperator & Pontifex c. 14. dist. 1. de Pœnit. *nemo patitur.* Cur? quia *vis coactiva*, quam Philosophus. 10. Eth. c. ult. in omnibus mandatis & legibus requirit, eò usque se non extendit, neque ad id ut *sensum communem* & πρῶτον αἰσθητήριον homo semper in actu conservet, per quem deinde spiritus animales deriventur in sensus externos. Hæc enim sunt supra forum civile; & homo homini non subjicitur secundum animam, sed secun-

ſecundum corpus. *Corpora obnoxia ſunt & adſcripta dominis, mens ſui juris eſt,* inquit Seneca. 3. de benef. c. 20. Poteſt quidem aliquando, quatenus connexi ſunt externus & internus, unumque actum completum humanum conſtituunt, indirectè & per quandam conſecutionem, actum internum præcipere, ſed ſi iſte non ſit ultra naturam. Nam ſic *ἀδυνατήσει,* inquit Philoſophus. c. 1. de ſom. & Vigil. *fatiſcet.* Inſuper nullam habet hæc coacta vigilia proportionem ad torturam, ſicut dolores corporis habere videntur; eſt & contra naturam, *vim* interioribus animæ potentiis inferre.

Dices. At ſæpe militi vigilias injungit Imperator, punitque ſi in excubiis dormientem inveniat. Reſp. injungit, ſed non ſupra naturæ vires, ita ut Vis facienda ſit ſenſibus, ſicuti in ejusmodi torturis. Poteſt enim homo per multas horas vigilare ſine naturæ gravamine; præcipuè metu perculſſus, & ubi periculum imminet. Rariores enim tum vapores aſcendunt, ſenſum communem occludentes. At ut per aliquos dies inſomnis perduret, fieri vix poteſt. Omnia

ἔργα κατὰ φύσιν, inquit Philoſophus l. de ſomno & vigilia, *ſimul ac temporis modum exceſſerint, laſceſcant ſuccumbantque oportet.*

Atque hæc ſunt, quæ de materia præſenti meditari voluimus; non eo fine, ut conſuetudinem inveteratam abrogaremus: neque enim tam obtuſi *geſtamus pectora Pœni*: ſcimus ſemper *Practicos* JCtos jus tractaturos, quatenus manu & conſtitutionibus tenetur. ſed quia nobis, qui Philoſophiam juris *theoricè* ſcrutamur, & quatenus *ratione tenetur*, altera ſententia videtur *tutior*. Exemplo nobis eſſe poſſunt ipſi JCti, qui ſæpè in Praxi aliud obſervant: ſi verò deinde *theoricè* rem examinent, diverſam ſectantur opinionem. Ingenia Studioſorum hoc *paradoxo* tantum exercere voluimus exemplo Ciceronis, qui itidem *paradoxa* ludens ſcripſit; nec ſemper ſeriò diſputavit, imo & Catonis, qui ſæpe, *cum in* SENATU *ſententiam diceret, locos graves tractavit, abhorrentes ab hoc uſu forenſi & publico.* Cur non & nobis in Scholis liceret Studioſos paradoxo aliquo propoſito ad veritatem indagandam excitare?

IN-

* * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * *

INDEX

Capitum Libri de Tortura.

Parte Prima.

Parte Secunda.

Enu-

INDEX

Argumentorum pro negativa, ad Paradoxon de Tortura in Christiana Rep. non exercenda, Jacobi Schalleri.

FINIS.